




T8c
GAUDEO.
John Carter Brown.








Americæ Pars VII.


VERISSIMA ET IVCVNDISSIMA DESCRIPTIO PRAECIPVARVM QVARVNDAM INDIÆ regionum & Insularum, quæ quidem nullis ante hæc tempora visæ cognitæque, iam primum ab VLRICO FABRO Straubingensi, multo cum periculo inuentæ & ab eodem summa diligentia consignatæ fuerunt, ex germanico in latinum sermonem conuersa autore M. GOTARDO ARTVS Dantiscano.

Illustrata verò pulcherrimis imaginibus, & in lucem emissa, studio & opera THEODORICI *de* BRY *piæ memoriæ, relictæ viduæ & filiorum.*

ANNO CHRISTI, M. D. XCIX.

Venales reperiũtur in officina Theodori de Bry.






Præfatio ad Lectorem.



VAMVIS beneuole Lector, parens noster THEODORICVS de BRY, piæ memoriæ, septimam hanc Americæ partem, quę itinera VLRICI FABRI continet, in latinum sermonem conuersam, prioribus sex partibus addere decreuerit; illud tamen propter varia negotia & occupationes alias hactenus intermissum fuit, quin & morte præuentus præstare non potuit. Nos igitur cùm sciremus parentes in liberis viuere, noluimus committere vt per parentis mortem aliquis sua se spe frustratum queri merito posset, atque ideo quę à parente nostro inchoata inuenimus, perficere & absoluere omnino decreuimus, nihil in eo laboris subterfugientes, licet in nostris alioquin operibus occupatissimi essemus. Exigere autem etiam quodammodo & efflagitare hanc septimæ huius partis versionem latinam videbatur pars Americæ octaua, quam non ita pridem ex belgico in germanicum sermonem translatam, latino iam tecum idiomate communicare voluimus. Ne igitur aliquid in latino desideraretur, & ordo qui in germanico est, turbaretur, necessum omnino fuit hanc quoque partem latinam facere, quæ quidem, præterquā quod voluptate lectorem afficere non exigua potest, benè admodum cum superioribus cohæret, & earū quasi quidam est commentarius, itaque & figuris imaginibusq; quibusdam huius partis historiam illustrauimus, spe bona freti, lectorem beneuolum hoc nostrum institutum approbaturum, & sua nos beneuolentia inuitaturum, vt nullis imposterum laboribus sumptibusque parcentes, in his & similibus pergamus, & alia quę sub manibus habemus opera, in lucem emittamus, donec tandem & nos nostrū in hac vita cursum absoluamus. Est enim & nobis nostra conficienda peregrinatio, multò quidem prolixior & difficilior quam itinera hæc & nauigationes esse possunt, in qua tot nobis pericula à ventis & tempestatibus variis subinde obiiciuntur, vt mirum non sit vix vnum ex decem, portum optatum assequi. Quo magis aduigilandum nobis & videndum vt nauiculam nostrā ita dirigamus, ne quid faciamus aliud, quam quod ad diuini nominis gloriam, vtilitatem proximi & nostram ipsorum salutem promouendam faciat. Quod ipsum quidem omnibus nobis largiatur Deus pater filius & spiritus sanctus, cui vni & omnipotenti Deo sit laus & gloria seculis infinitis. Vale.



LECTORI BENEVOLO THEODORICVS DE BRY SALVTEM.



CVm hactenus præcipuas & iucundißimas noui Orbis seu AMERICAE historias, pulcherrimis imaginibus & figuris artificiosißimè illustratas, typis euulgârim atque in lucem emiserim; Quæ quidem historiæ hucusq; sex libris descriptæ & comprehensæ fuerunt, quorũ primus descriptionem regionis VIRGINIAE, secundus FLORIDAE, tertius BRASILIAE, quartus, quintus & sextus, tres libros BENZONIS complectitur: Operæ precium me facturum putaui, si omninò nihil eorum omitterem, quæ ad illustrandam hanc materiam aliquo modo facere possent, itaq; & sequentem hanc VLRICI FABRI Straubingensis perbreuem quidem, sed maximè iucundam & veram historiam, publicare volui, partim quòd ea ad illustrandum hoc argumentum nõ parum facere videbatur, quæ & grata breuitate & multarum mirabilium rerum verißima descriptione beneuolo sese lectori commendare posset: partim vt honori communis nostræ patriæ, Germaniæ, inseruirem, cũ Autor ex superiori germania oriundus, multo simul & periculo & labore hoc iter in Americam, per vastuosissimum mare susceperit, omnia coram intuitus sit, & in communis patriæ honorem atque gratiam propriјßime exactißimeq; descripserit, vt ex historiæ lectione plenius patebit. Consideratione autem maximè dignum in historiæ huius lectione fuerit, quod Deus mirabilia sua opera non velit æternum manere abscondita & ignota, sed subinde aliquos excitet, qui ea hominibus patefaciant, & omnipotentiam in eis diuinam agnoscant, prædicent, atque mirentur. Fuit equidem non minima isthæc Orbis pars AMERICA, parentibus nostris hactenus ignota plane atque incognita; Nobis autem hac postrema mundi ætate, diuina gratia patefacta est & manifestata, vt occasionem vel inde etiam aliquam haberemus, Deum prædicandi, & vitam nostram iuxta ipsius voluntatem piè instituendi. Sed contrarium proh

dolor

dolor hac tempestate accidit. Cum enim consideratione fragilitatis humanæ vitam nostram emendare, & diuinam hanc Dei benignitatem atque clementiam grata mente agnoscere & celebrare deberemus, videmus contra & non sine ingenti dolore experimur, omnis generis flagitia indies apud nos magis magisq; crescere, non secus ac si & Christiani non essemus, & preciosissimum Christi meritum (vt bonitatem eius hoc postremo nobis declaratam seculo taceam) prorsus ignoraremus. Pudere nos certè debebat si à rudibus hisce & barbaris hominibus, in multis virtutibus, quin, & (quatenus quidem verbum Dei vel obiter saltem ipsis proponitur,) in pietate & morū probitate longè nos superari audiamus, quemadmodum in præcedenti historia nobis ab Indianis haud obscure est obiectum, nos Christianos peiorem ipsis Indianis vitam agere, qui agnitionem Dei hactenus non habuerunt, vnde & Christianam amplecti religionem imposterum nō admodum desiderent. Quod nos quidem pudore suffundere atque rubore merito debebat. Liceat mihi hic vel cum poëta exclamare, ô tempora, ô mores, vitam enim proh dolor agimus in omnibus vitiis flagitiisq; securissimam, ac si vel cœlis Deus nullus inesset; iuuentutem cerni nec ad pietatē nec ad morum honestatem institui, sed vel ferociētis vituli in morem, omnia pro libitu agere, ita vt vix vnum possis atque alterum hodie reperire puellum, qui non in malitia vel iustæ ætatis virum superet vincatq;, cum tamen interim de Christiana pietate, & morum honestate altum apud eos sit silentium. Quid ego hic de abominando hoc peccato dicam, quod vix verbum vnum atq; alterum sine nefaria diuini nominis execratione, passim hodie apud nostros proferatur, cuiusmodi execrationes hisce egomet ipse auribus, non sine gemitu & iusta indignatione, percipere sæpenumero cogor. Mirum profecto est, Deum ad tam nefaria flagitia atque scelera nostra diutius conniuere, & nō accensa vniuersa ira sua, nos variis ex medio pœnis suppliciisq; tollere, præsertim cum vitia hæc & peccata, non in verbis solum, sed & in ipsis factis audiātur & conspiciantur, fallere, mentiri, helluari, scortari tantopere inualuit, vt accedere nihil possit amplius. Quod si vt Christianos decet, æternam animarum nostrarum salutem, & postremi iudicij præsentiam considerantes, de tristissima istius iudicij sententia, qua dicetur, discedite maledicti in ignem sempiternæ condemnationis, cogitaremus, crederem ego vtique, nō fore huius seculi tantam & tam exulceratam malitiam atque impietatem. Quis enim non potius optaret lætissimam hanc & iucundissimam audire vocem, qua Christus dicturus est;

venite benedicti patris mei, possidete regnum vobis paratum ante iacta fundamenta mundi, &c. Cum igitur ea sit immundi huius mundi malitia & peruersitas, vt bonitatem Dei, in mirandis operibus eius parum agnoscat nec verbo Dei nec illustribus historiis ad pietatem moueatur, quemlibet ego Christianum rogatum volo, vt flecti sese tandem & moueri aliquo modo sinat, quo vitam Deo placentem postmodum agat, & bonitatem Dei non contemnat, cum de vita nostra ne per vnicam quidem horam certi simus, & facile fieri possit, vt vel præsens hæc hora vitam nobis abrumpat omnibus vel ipsius Cræsi diuitiis posthabitis atque neglectis. Hæc lector beneuole monere te volui, cum enim non tantum peruersitatem & malitiam huius seculi in decrepita hac mea, senectute cum dolore & gemitu experiri & intueri quotidie cogar, sed ipse etiam variis infirmitatibus, maxime vero exactissimis intolerabilis podagræ cruciatibus, aliisq; miseriis & calamitatibus assiduè exercear & premar, nō volui committere vt aliquid in me desideraretur quod ad promouendam gloriam Dei, & iuuentutem rectè informandam erudiendamq; faceret. Tuum igitur fuerit, & meorū quodammodo dolorum aliquo sensu affici, & conatus, labores sumptusq; quos in his & similib. historiis feci non exiguos, dextre æstimare. Quin & Deo pro bonitate & mirandis operib. eius gratias agere, & pro valetudine mea vota te facere velim, vt orbi Christiano adhuc aliis id genus inseruire & prodesse opusculis queam, quorum quidem plura sub manibus habeo, propediem Deo volente tecum communicanda. Deus æternus pater Domini nostri Jesu Christi Spiritum suum sanctum nobis omnibus largiatur, qui viam nobis in hac miseriarum valle monstret, quam insistētes tranquille hic honestam vitam agamus, gratiam & bonitatem Dei veneremur, & tandem ad requiem atque sempiternam in cœlesti vita læticiam cum omnibus piis & electis transferamur. Amen.

VERIS-

VERISSIMA PRAECIPVARVM QVARVNDAM INDIÆ REGIONVM ATQVE INSVLARVM IAM PRIMO, AB VLRICO FABRO Straubingensi multo cum periculo, inuentarum, consignatarumque, descriptio.



Cap. I.



RINCIPIO cum Antuerpia Hispaniam petiturus, ad ciuitatem nomine CALLIS, ad quã 400. miliaria in mari numerãt, spacio quatuordecim dierum appulissem, in portu ciuitatis ingentem Balænam 35. videlicet passuum vidi, cuius adipe 30. vasa, eius magnitudinis, quibus haleces huc asportantur, repleta sunt.

Callis.

Balænæ grandis descriptio.

Addi-

Classis. Ad dictam hanc ciuitatem CALLIS quatuordecim ingentes naues omnib. rebus necessariis instructæ & probè munitæ conuenerant, RIO DELLA PLATA Indiæ petituræ. Aderant simul ibi 2500 Hispani, & 150 Germani, ex superiori, partim & inferiori Germania, partim ex Saxonia oriundi. Et supremus nostrũ omnium præfectus PETRVS MANCHOSSA vocabatur.

Numerus eorũ qui nauem conscenderũt.

Ex quatuordecim hisce nauibus, vna Domini SEBASTIANI NEIDHARD, & IACOBI VVELSERI Norinbergensis erat, qui procuratorẽ suum HENRICVM PAEIME propter mercaturam RIO DELLA PLATA Indiæ miserant. His ego me vnà cum aliis, superioris & inferioris Germaniç, 80 fermè, armatis adiungẽs, RIO DELLA PLATA profecti sumus.

Arma nauiũ.

Cum eo venissemus, postmodum, autore dicto nostro præfecto vel Capitaneo, cũ quatuordecim nauibus SYVILLA, eodem anno, die Bartholomæi soluimus, & ad ciuitatem Hispaniæ appulimus, cui nomen est S. LVCAS. Ciuitas hæc à SYVILLA viginti miliaribus distat, vbi propter nimias tempestates ad primum vsque Septembris, eiusdem anni commorati sumus.

Syuilla. S. Lucas. Tempestates.

Hinc soluentes, ad tres insulas non procul ab inuicem distantes peruenimus, quarum nomina sunt DEMERIEFFE, KVMERO, PALMAN. Hæ insulæ à ciuitate S. LVCAS distant 20 ferè miliaribus, in quibus nauium partitio facta est. Cæsaream Maiestatem agnoscunt, & meris Hispanis habitantur saccari parandi peritissimis. In PALMAN quidem Insulã tribus nauibus peruenimus, & nobis, cum quatuor septimanis ibi fuissemus, de rebus necessariis iterum prospeximus.

Distantiã à Luca. Dominus Insularum. Incolæ Insularum.

Postquam Dux noster PETRVS MANCHOSSA, qui octo vel nouem miliaribus à nobis aberat, nobis imperasset, vt ad iter nos pararemus, erat forte fortuna in naui nostra ipsius Petri cognatus GEORGIVS MANCHOSSA, qui amare cœperat ciuis cuiusdam Palmensis filiam. Hic, cum soluere constituissemus, noctu, circiter horam duodecimam vnà cũ duodecim suis amicis, sese nobis rursus adiunxit, adferens secum filiam ciuis istius Palmensis, & ancillam, vestes pecuniam & clinodia virginis portãtem. Hi recepti sunt in nauem ignorantibus ferè omnib. excepto eo, qui in excubiis tum temporis erat, vigile. Mane cum soluissemus & vix duo vel tria miliaria confecissemus exorta est ingens tempestas, quæ nos ad eundem rursus portum remisit. Quo cum venissemus, nauicula quadam, quam ista lingua PAT & PODELL vocant, procurator nauis HENRICVS PAIEMÆ, ad littus appulit, quo loci triginta armati constituti erant, qui dicto huic HENRICO PAEIME insidias struebant. Quod cum ex nautis quidam vidisset, admonebatur ipse quidem, vt ad nauem rursus properaret, sed periculum vix euitare poterat, propterea quod armati isti admodum eum vrgerent, apprehendit ta-

Plagium filiæ cuiusdam ciuis, vnà cum ancilla clàm abducta.

Bellum propter vastã & abductam filiam.

dit ta-

dit tamen tandem nauem aliam quæ non procul à terra distabat & in ea sese saluabat. Cum itaque armati isti viderent se nihil efficere, nec dictum HENRICVM PAIEME capere posse, classicum canebant & campanæ pulsu ciues Palmenses ad arma excitabant, quin & tormenta ænea duo non exigua ad nauem nostram dirigebant, quatuor ictibus eam petentes, & primo quidem ictu ollam quandam in puppi repositam, quæ recentis aquæ metretas quinque vel sex capiebat, secundo ictu MASSAINE, hoc est, malum in naui, confregerunt; tertio perforata naui, virum vnum interfecerunt, quartus autem irritus fuit.

Pugna naualis.

Aderat tum alius quispiam Nauclerus, qui sua naui Hispaniam nouam in MECHSECKHEIM petere constituerat centũ & quinquaginta armatos in littore habens. Hic turbis hisce cognitis, pacem inter nos & incolas istius loci fecit, hac quidem lege & conditione, vt GEORGIVS MANCHOSSA cum rapta virgine & ancilla ciuibus istis traderentur.

Conditio pacis.

Cap. II.



POstmodum præfectus & Iudex ciuitatis cum nostro Duce & dicto Nauclero ad nauem nostrã veniebant, Georgium Manchossa & amicã eius quærentes, qui cum aduenisset eam pro vxore tuebatur, similiter & ipsa maritum eum suum affirmabat, confirmatum igitur inter eos statim matrimonium fuit, quamuis parente difficulter admodum consentiente. Quo facto cum nauem nostram valdè perforatam videremus dictum GEORGIVM MANCHOSSA & vxorem eius ad littus deposuimus, iubente id quidem & præcipiente nostro Duce siue Capitaneo.

Nuptiæ ex pugna.

Georgius Manchossa ad terrã deponitur.

Postea reparata naui nostra, Insulam quandam petiimus cui nomen est S. IACOBO, vel hispanicè SANCT IAGO. Hæc Insula ad Regem Portugallensem pertinet, subiectos sibi habet Æthiopes nigros, & 300 miliaribus ab Insula PALMAN distat. Hic commorati sumus per dies quinque & nobis de cibo potu atque aliis ad nauigationem necessariis rursus prospeximus.

S. Iacobus.

Portugallenses.

Nigri æthiopes.

Coniunctæ tunc adhuc erant omnes nostræ, dictæ nimirum quatuordecim, naues, quibus per duos menses in mari nauigantes, ad Insulam quandam appulimus; in qua nihil præter ingentem auium multitudinem conspeximus, quas quidem etiam baculis ferire poteramus. Insula hæc sex miliaria suo ambitu continet, nullis habitatur hominibus, & 1500 miliaribus à superiori Insula S. IAGO distat. In mari circa Insulam hanc reperiuntur pisces volantes, & plurima monstra marina, vt Balenæ, & alij pisces quos SCHAVBHVT vocant,

Insula auibus referta.

Pisces volantes.

Schaubhut piscis.

vocant, propterea quòd in fronte rotundum quendam orbem habeant, quo aliis piſcibus bellum mouere ſolent, ſunt enim piſces ingentes & formidabiles. Reperiuntur & alij piſces in dorſo cultellum oſſeum geſtantes, quos Hiſpani ſua lingua PESCHEPATE nominant, quin & ſerram oſſeam in quorundam dorſo conſpicias, & id genus piſcium admodum formidabile eſt, Hiſpanis PESCHEDEFERRE dictum. Neque propoſitum mihi eſt, omnium monſtrorum quæ in mari iſto reperiuntur nomina & formā pluribus hoc loco perſequi.

Peſchepate piſcis cultrum in dorſo gerēs.

Poſtea hac Inſula diſcedentes ad aliā peruenimus, RIO GENEA dictam, quæ 500 miliaribus à ſuperiori diſtat, & Regi Portugalliæ paret. Hæc eſt Inſula RIO GENEA in India, & iſtius loci Indiani, vocantur TOPPIS, vbi commorati ſumus 14 diebus. Hic cum eſſemus præcepit Dux noſter PETRVS MANCHOSSA vt iurato ſuo fratri, IOANNI OSSORIG obtēperaremus, propterea quòd ipſe propter perpetuas infirmitates, nos regere amplius non poſſet. Verùm hic IOANNES OSSORIG paulò poſt falſo apud PETRVM MANCHOSSA deferebatur, quaſi ſeſe PETRO MANCHOSSA opponere & ſeditionem in populo moliri vellet. Itaque cōuocatis quatuor inferioribus præfectis, (quorum nomina erant IOHANNES EIIOLLAS, IOHANNES SALLEISSER, CEORGIVS LVCHSAM, LAZARVS SALVAISCHO) PETRVS MANCHOSSA mandabat dictum IOANNEM OSSORIG pugione interficere, & interfectum in aream tanquam proditorem exponere, addita ſimul interminatione eiuſdem ſupplicij, in eum qui fortè patrociniū IOHANNIS OSSORIG ſuſcipere vellet. Sed facta eſt ei, quod Deus nouit, inſignis iniuria, fuit enim vt probitate, ita fide & honeſtate, adde etiā rei militaris ſcientia admodum cōſpicuus, qui de militibus quam optimè mereri ſemper ſtuduit, Deus igitur animæ eius in æternum propitius eſſe velit.

Ioannes Oſſorig innocenter interfectus.

Cap. III.



Inc ſoluentes RIO DELLA PLATA profecti ſumus, & fluuium in itinere dulcis aquæ offendimus, qui vocatur PARANAV VVASSV fluuius hic ad latus maris præterlabitur, 24 miliaria in latitudine habet, & ab Inſula RIO GENEA 500 miliaribus abeſt. Ibi delati ſumus ad portum quendam cui nomen eſt S. GABRIEL, & ancoras 14 nauium noſtrarum, in dicto fluuio firmauimus.

Portus S. Gabriel.

Cùm autem naues noſtras ad terram adducere non poſſumus ſed in aqua manere cogeremur, curauit Dux noſter PETRVS MANCHOSSA vt nautæ populum paruis nauiculis, in hunc vſum paratis, & propterea PATT & PODELL, dictis, ad terram tranſueherent.

Podelli vſus.

Tandem igitur diuina gratia in RIO DELLA PLATA peruenimus,

uenimus, Anno Christi 1535, vbi pagum quendam Indicum conspeximus in quo 2000 ferè viri habitabant, quos ZECHVRIAS nominant. Hi nihil aliud cibi habent quam pisces & carnes, cumq; de nostro aduentu audiuissent, relicto pago cum vxoribus liberisq; fugam dederunt, ita vt reperiri amplius non potuerint. Huius loci homines planè nudi incedunt, nisi quod mulieres pudenda linteolo gossypino ab vmbilico ad genua vsque protenso tegant. *Pagus Indicus.* *Zechurias.* *Mulieres nudæ.*

Iubebat postmodum Dux noster PETRVS MANCHOSSA, populum nauibus rursus imponi, & ad alterum latus fluminis istius PARANAV traduci, vbi octo tantum miliaria in latitudine habebat. *Populus nauibus rursus imponitur.*

Ibi ciuitatem condidimus, & eam BONAS AEIERES vocauimus, hoc est, bonum aërem. *Bonus aër.*

Quin & 72 equos & equas ex Hispania nostris 14 nauibus adduximus.

Isthic loci pagum quendam Indicum inuenimus, quem Indorum circiter 3000 cũ vxoribus & liberis, inhabitabant CARENDIES vocati, vestes easdem habent cum superioribus quos ZECHVRIAS nominari diximus, illam inter vmbilicũ & genua corporis partem tegentes. Cibum nobis attulerunt pisces & carnes. Hi CARENDIES sedes & habitationes certas non habent, sed in regione ista passim vagantur & oberrant instar TARTARORVM apud nos vagantium. Quin & in æstate sæpenumero triginta miliaria peregrinando conficere possunt, vt aquam neque habeant neq; desiderent. *Pagus Indicus.* *Carendies.* *Vestes.* *Cibi.* *Habitatiõ.*

Ceruos vel feras alias si fortè figere ipsos contingat, sanguinem pro potu bibunt, vtuntur & radice aliqua ad leuandã sitim, cui nomen est CARDES. Quod autem sanguinem bibunt, id tantum ex necessitate fit, quia aquam vel potum alium non habent, & siti eos perire necesse esset. *Indi sanguinẽ ferarum bibunt.* *Cardes.*

Hi CARENDIES nobis per quatuordecim continuos dies victum suppeditarunt pisces & carnem. Accidit autem vt vno quodam die non venirent, statim igitur Dux noster PETRVS MANCHOSSA, iudicem quendã qui vocabatur IOHANNES PABON vnà cum duobus ministris, ad CARENDIES, qui tum quatuor miliaribus, à castris nostris aberant, ablegauit; Qui cum eo venissent, ita eos allocuti sunt, vt ab incolis fustibus excepti sint, & benè fustigati ad nostros redierint. Quod ex relatione iudicis istius cum intellexisset PETRVS MANCHOSSA, admodum iratus, germanum suum fratrem DIEGO MANCHOSSA cum 300 peditibus & 30 equitibus probè armatis, quibus & ego aderam, emisit, præcipiens vt dictos illos CARENDIES omnes interficeremus aut caperemus, & pagum ipsorum igne subuerteremus. Cum autem ad eos venissemus, erant eorũ 4000 in vno loco congregati, siquidem *Carendies socius nostris victum suppeditant.* *Bellum cum Indis.*

& socios & amicos suos omnes accersierant. Itaque cum eos aggredi vellemus, tam fortiter sese nobis opposuerunt, vt toto isto die satis nobis negotij fecerint. Nã & ipsum DIEGO MANCHOSSAM, & sex nobiles alios interfecerunt, & tam acriter nobiscum pugnarunt, vt eorum virtutem satis experiremur & viginti ex nostris caderent, quamuis interim ab ipsorum parte 1000 vel plures interfecti sint.

Diego Manchossa interfectus.

Numerus in pugna interemptorum.

Arma Indorum.

Dicti CARENDIES arma habent, arcus & TARDES in formam dimidiarum hastarum, quarum extremitatibus acutissimi silices sunt affixi. Vtuntur & globis lapideis funi alligatis, in modum globorum plumbeorum, quibus nos vti solemus.

Globi funibus alligati.

Hisce globis ferarum & equorum pedes petere solent, vt irretiti in terram procidant, quo stratagemate, quod ipsemet vidi, dictum Capitaneum nostrum DIEGO MANCHOSSA & reliquos nobiles interfecerunt, cæteros vero pedites dictis TARDES interemerunt.

Pagus Indorũ superatus.

Tandem tamen Deus suam nobis gratiam largiebatur, vt consequuta victoria, pago ipsorum potiremur, neminem tamen ex illis capere poteramus, quin & vxores & liberos ex pago isto ante pugnam in alium locum deduxerant. In pago hoc nihil inuenimus præter preciosas aliquot martium & lutrarum pelles, multos item pisces, confectam ex piscibus farinam, & adipem ex illis extractum. Commorati sumus autem in isto pago tribus diebus, & postea ad castra rursus nos recepimus, relictis ibi 100 ex nostris, vt cum Indianorum retibus piscarentur ad sustentationem nostri populi, cum ibi flumina piscibus abundarent.

Spolia.

Farina ex piscibus.

Piscatio.

Victus quotidianus.

Præbebatur autem singulis in diem vnus quadrans farinæ, in victũ & tertio quolibet die piscis vnus. Hæc piscatio durabat duos menses, qui vero plus piscium desiderabat, is per quatuor miliaria excurrens, eos afferre sibi cogebatur.

Postquam ad castra reuersi eramus, partitio populi facta est, separatis illis qui ad arma sumenda apti erant, ab illis qui ad labores alios sustinendos erant magis idonei. Quo facto ciuitatem condere cœpimus cingentes eam muro luteo dimidiam hastam alto & tres pedes lato in ciuitate ista arcẽ seu propugnaculum benè munitum extruximus in gratiam Ducis nostri. Verum opus non procedebat satis feliciter, cum enim populus non haberet vnde sese sustentaret, & famem pelleret, accidit vt multis, fame pereuntibus, multipliciter opus illud impediretur. Tandem autem ingens exorta est inter nos calamitas. Nam & equis absumtis mures & serpentes inquisiuimus, quin & calceos, corium & alia à quibus natura abhorret præ nimia fame comedimus.

Noua ciuitas.

Ingens fames.

Coriũ & calceamenta præ fame comeduntur.

Cap. IV.

Cap. IV.



TRes quidam Hispani equum surreptum clam comederant, quod cum aliquo modo innotuisset, criminaliter isti examinati sunt, donec rem omnem confiterentur. Facta autem confessione ad supplicium patibuli condemnati sunt & suspensi. *Hispani surreptum equum comedunt: Hispani suspenduntur.*

Sequenti nocte tres alij Hispani patibulum accedentes, crura suspensis amputarunt, & carnis aliquot frusta ad depellendam famem secum domum portarunt. *Hispani suspensi mutilantur.*

Quin & fratrem suum Hispanus aliquis comedit, qui mortuus erat in ciuitate BONAS AEIERES. *Fratrem suum comedit.*

Videns igitur Dux noster PETRUS MANCHOSSA, se diutius populum ibi sustentare non posse, communicato cum aliis consilio, præcepit, quatuor nauiculas, quas PARCHKADIENES vocat, summa celeritate parari, tantæ capacitatis vt 40 viros quælibet recipere posset, & tres alias paulo minores, quas PODELL vel PATT nominant, illis adiungi.

Cum naues hæ septem paratæ essent & instructæ, conuocatis nobis omnibus, misit Dux noster GEORGIUM LAUCHSTEIN vnà cum 350 armatis, vt in flumine PARANAU Indos inuestigaret, & cibum nostris afferrent. Sed Indi hoc animaduertentes omnem cibum corruperunt, pagis quibus habitabant igne euersis. Ipsi vero fuga sibi consulebant. Nos autem cum parum cibi haberemus, in diem enim quilibet non amplius quam sescunciam panis accipiebat, mortua est in ista nauigatione dimidia populi pars, reliqua ad castrum vbi Dux noster erat, reuersa est. *Vicus & ciuitates ab Indis igne subuertuntur.*

Interrogabat igitur PETRUS MANCHOSSA, dictum GEORGIUM LAUCHSTEIN quomodo nauigatio ista cessisset, & qui factum, quod tam exigua populi pars rediret, cum tamen quinque tantum menses emansissent, cui respondit GEORGIUS LAUCHSTEIN, populum fame periisse, cum Indiani cibum omnem igne perdidissent & fugissent. *Tristis relatio.*

Mensem igitur vnum adhuc in ciuitate BONAS AEIERES substitimus, magna in paupertate, donec naues rursus instruerentur. *Bellum nouum.*

Interea Indiani magna vi & copia nos adoriuntur in ciuitate nostra BONAS AEIERES, quorum numerus erat 23000, & in his quatuor nationes erant, quas vocamus, CARENDIES, ZECHURIAS, ZECHUAS, & DIEMBUS. Horum mens erat nos ad vnum omnes interficere, sed Deus tamen Opt. Max. maximam partem conseruauit, cui sit laus & gloria seculis infinitis. A nostra enim parte, 30 tantum personæ ceciderunt. *Numerus interfectorum.*

Cap. V.

Impetus.

Tela ignita.



Vm ad ciuitatem BONAS AEIERES primo venissent, quidam muros concutere & conscendere, visi sunt, quidam ignita tela in ciuitatem miserunt, quibus ædificia nostra succēsa sunt, erant enim omnia stramine contecta, exceptis Ducis nostri ædibus, quæ tegulis erant cōtectæ, itaq; ciuitatem nostram funditus delerunt. Tela autem eorum ex arundine facta erant, quæ in extremitatibus accendebantur.

Materia telorum. Habent etiam peculiare aliquod lignum, ex quo tela parare solent, quæ si accensa emittantur, non extinguuntur, sed quicquid corripiunt, maximè si stramineum id sit, simul accendunt.

Naues exustæ. Quin & naues quatuor tum exurebantur, quæ in mari, ad dimidium miliare à nobis aberant. Populus autē qui in nauibus istis erat, cum tormentis & armis destitueretur, tumultumq; hunc Indianorum videret, relictis hisce quatuor nauibus, in alias tres non procul ab istis sitas, confugit, in quibus bombardæ & alia instrumenta bellica continebantur.

Cum igitur viderent Christiani naues ab Indianis esse accensas, emiserunt in eos tormenta ista & instrumenta bellica.

Temporis circumstantia. Hoc audientes & videntes Indiani, statim in fugam versi sunt, Christianis relictis. Hæc omnia acciderunt festo S. Ioannis die Anno 1535.

Cap. VI.



Isce peractis omnibus, populus naues rursus conscendere iussus est, Et PETRVS quidem MANCHOSSA Dux noster, recturam & gubernationem populi vniuersam IOHANNI EIIOLLAS commisit, eumq; Ducem nobis suo loco constituit. EIIOLLAS igitur, cum populum exploraret, de 2500 armatis tantum 560 adhuc superstites reperit, cæteri fame & aliis miseriis extincti erant, quibus Deus propitius esse velit.

Nouus Dux exercitus.

Populus numeratur.

Nouum inuētum. Postmodum nouus noster Dux IOHANNES EIIOLLAS octo nauiculas, quas PARCHKADIENES & PODELLES vocant parari iussit, assumpsitque 400 viros de hisce 560, reliquis 160 viris in nauibus relictis, vt eas custodirēt, quibus etiam centurionem constituit IOANNEM ROMERO, & de cibo in annum necessario prospexit, ita vt quilibet in diem panis vel farinæ trientem acciperet, qui vero plus desideraret, id aliunde peteret.

Victus quotidianus.

Tempus nauigationis. His ita constitutis, cœpit Ioannes Eijollas cum 400 suis armatis, fluuium PARANAV de nouo perlustrare, assumpto simul etiam

gene-

generali nostro Duce PETRO MANCHOSSA,& spacio duorum mensium in regionem Indiæ miliaria 84 latam peruenimus. Huius regionis incolæ TYEMBVS vocantur, in vtroq; nasi latere exiguam stellulam gestant, ex albis & cæruleis lapillis factam, homines sunt procero & robusto corpore, mulieres admodum deformes habent, non vetulas solum sed & iuuenculas facie enim lacerata sunt & sanguine semper fœdata. Cibo per omnē vitam alio nō vtuntur quam piscibus & carne, numero 15000 esse in hac natione dicuntur. Cum ipsi nos aduentātes vidissent, per quatuor miliaria nobis pacificè occurrerunt nauiculis 400, quas CANAEN & ZILLEN vocant, quarum quælibet 16 viros habebat.

Stellula in naribus. *Mulieres deformes.* *Victus.* *Numerus populorum.* *Indiani Christianis pacificè occurrunt.*

Hæ nauiculæ vel ZILLEN ex arboribus factæ sunt, 80 pedes longæ & tres latæ, remis in aqua propelluntur quemadmodū piscatorū scaphæ in Germania, præterq̃ quod remi ferre obducti non sunt.

Cap. VII.

NAuibus ab vtraque parte coniunctis, Dux noster IOANNES EIIOLLAS, supremo istorum THYEMBVS, quem ZECHERA VVASSV vocant, indusium dono dedit, itemq; rubrum pileum, bombardam & eiusmodi res alias, qui nos acceptos in pagum secum deduxit, & satis cibi ex piscibus & carne nobis suppeditauit.

Erant tum res nostræ in extremum ferè adductæ discrimen, ita vt si nauigatio ista adhuc 10 dies durasset, omnib. fame pereundum fuisset, nam & in hoc itinere de 400 istis, 50 mortui erant, sed Deus hoc periculum clementer tum auertit, cui sit honos & gloria.

Christiani fame mortui.

In hoc pago cōmorati sumus quatuor annis, sed Dux noster generalis PETRVS MANCHOSSA q propter varios cōtinuosq; morbos, manus pedesq; loco mouere amplius non poterat, & in hac nauigatione 40000 coronatos consumpserat, non poterat diutius in hoc pago sese continere, rediit igitur cum duabus PARCHAKADIENES in BONAS AEIERES, ad superstites quatuor naues ibi relictas, vbi acceptis duabus nauibus, & 50 viris Hispaniam repetere constituit, sed cum in medio ferè esset itinere, morbo grauiori correptus, miserè periit, cui Deus quietem æternam largiatur.

Petrus Manchossa reuertitur. *Petrus Manchossa moritur.*

Promittebat autem cum discedere vellet, quamprimum vel ipse vel naues Hispaniam aduenirent, duas alias naues RIO DELLA PLATA Indiæ missum iri, quod etiam testamento suo fideliter cauit, & ita factum est. Cum enim duæ istæ naues Hispaniam aduenissent idque Regiæ Maiestatis consiliariis significatum esset, statim ipsi, Regiæ Maiestatis nomine, procurarunt, vt duæ naues aliæ omnibus necessariis rebus munitæ RIO DELLA PLATA Indiæ mitterentur.

Capi-

Capitaneus harum duarum nauium vocabatur ALVANZO GABRETO qui adducebat secũ 200 Hispanos, & victum ad duos annos sufficientem, venitque in ciuitatem BONAS AIERES ad superstites duas naues, vnà cum 160 viris, Anno 1539.

Cum autem Capitaneus hic ALVANZO GABRETO in Insulam THYEMBVS, ad Ducem nostrum IOANNEM EIIOLLAS venisset, statim nauis alia, in Hispaniam remissa est de mandato & voluntate consiliariorum Regię Maiestatis, vt rebus omnibus & de conditione regionis istius ipsi edocerentur.

Consultatio. Postea habito cum hoc ALVANZO GABRETO & MARTINO DOMINGO EIIOLLA aliisq; Capitaneis consilio, statuit Dux noster IOHANNES EIIOLLAS populum explorare, reperti sunt autem ex nostris & iis qui nuper ex Hispania aduenerant 550 viri. Itaque 400 ex his sibi adiunxerunt, reliquis 150 in THYEMBVS relictis, propter defectum nauium. His addebant centurionem qui eos gubernaret, nomine CAROLVS DOBERIM, qui ante hæc tempora cubicularius Regiæ Maiestatis fuerat.

Nauigatio in fluuio Paranau. His ita peractis, Duces isti, cum 400 armatis, octo nauiculis PARCHKADIENES, fluuium PARANAV rursus ingressi sunt, & alium fluuium quæsiuerunt, quem vocant PARABOE, cui adhabitant CARIOS populi, apud quos triticum turcicum inuenitur, *Descriptio radicum.* & radix nomine MANDEOCHADE, cum aliis multis, vt sunt PADADES, MANDEOCH PARPIE, MANDEOCH MANDAPORE, &c. Radix PADADES pomum repræsentat forma & sapore, Radix MANDEOCH PARPIE castanearum saporem habet. Ex radice vero MANDEPORE vinum conficitur, quod Indiani bibunt. *Vinum Indicum.* Hi CARIOS abundant piscibus & carne, habent etiam oues mulorum nostratium magnitudinem ęquantes. *Oues Indianorum.* Quin & apros & struthios aliasque feras permultas habent, nec non gallinarum & anserum copiam maximam. *Feræ Cariorum.*

Soluentes itaque à portu BONESPERANSO cum dictis nostris octo PARCHKADIENES nauibus, primo die quatuor miliaria conficientes venimus ad populum CVRANDA, carne & piscibus vescentem. Numerus eorum est 12000 virorum idoneorum ad bellum. Populus hic priori per omnia similis est, THYEMBIS nimirum, nam & stellulas in naribus habent & procero sunt corpore, mulieres habent deformes, omnes tam iuuenculas quam vetulas facie lacerata & sanguine semper fœdata. Vestimentis etiam iisdem, quibus THYEMBVS vtuntur, linteolo nimirum gossypino ab vmbilico ad genua dependẽte, vt supra dictum. *Vestitus in Curanda.* Hi Indiani multis abundant lutrarum pellibus, nauiculas etiam multas habent quas CANAEN vel ZILLEN vocant. *Pelles.* Cõmunicabant nobiscum pro paupertatula sua pisces, carnes & pelles. Nos ipsis contra, vitra, corallia, specula, pectina, cultellos & hamos quibus pisces capiuntur red- *Permutatio mercium.*

tur reddidimus. Mansimus apud eos biduum integrum, postea donarunt nobis duos CARIOS qui erant ipsorum captiui, vt iter nobis monstrarent, & in lingua nos iuuarent.

Postmodum perreximus ad populum alium, qui vocatur GVLGAISEN, horum numerus est 40000 fortium virorum, viuunt piscibus & carne, stellulis nares exornant, absunt à CVRANDIS 30 miliaribus, vna cum THYEMBVS & CVRANDAS lingua vtuntur; in lacu quodam habitant cuius longitudo sex miliarium est latitudo verò quatuor, ad sinistrum latus fluminis PARANAV. Apud hos quatuor dies mansimus, nam & ipsi nobis quod habebant pro paupertatula sua communicabant, & nos vicissim ipsis.

Inde profecti toto 18 dierum spacio populum nullum inuenimus, postea reperto flumine, in mediam regionem labēte, magnam hominum multitudinem inuenimus, quorum numerus excedit 18000 bene armatos. Hi cibum alium quàm pisces & parum carnis non habent, & MACHKVERENDAS vocantur. Conspiciuntur apud eos nauiculæ CANAEN vel ZILLEN quam plurimæ.

Pro more suo nos benè exceperunt, communicantes nobiscum quicquid habebāt. Habitant ad alterum, hoc est, dextrum latus fluminis PARANAV, lingua prorsus alia vtuntur, stellulas naribus affixas habent, corpore sunt procero, mulieres habent deformes; absunt à GVLGAISSEN 67 miliaribus.

Cap. VIII.



CVm ibi quatriduum fuissemus, inuenimus in littore fluminis serpentem ingentis magnitudinis, 25 pedes longum, crassum vero instar alicuius viri, colore nigro & flauo; quem tormētis nostris bellicis interfecimus. Itaq; Indiani valdè mirati sunt, nunquam enim antea serpentē tantæ magnitudinis viderant. *Ingens serpens.*

Hic serpens, vt referebant, Indianis multum damni intulit; lauantes enim in flumine cauda circumuoluit; & secū abductos in aquam, deuorauit; plurimos enim periisse affirmabant vt ignotum sit quò deuenerint. Ego serpentem hunc diligēter intuitus & mensus sum, vt longitudinem & latitudinem eius probè sciam. *Damnū à serpente Indianis illatum.* *Indiani serpentem comedunt.*

Hunc serpentem postea Indiani præpararunt in cibum, & carnem eius assam elixamque in ædibus suis comederunt. Hinc discedentes in flumine Paranau itinere quatuor dierum ad nationem quandam, quæ vocatur ZCHEMIAISCH SALNAISCHO, peruenimus, homines sunt breues & crassi; solis piscibus & melle viuunt, nudi omnes, cuiuscunque ætatis & sexus sint, incedunt, ita vt etiam nihil habeant quo pudenda tegant. *Homines nudi.*

Bellum gerunt cum MACHKVRENDAS supradictis populis, feras

habent ceruos, apros, struthios & cuniculos, glirium instar sed caudis tamen carentes. Populus hic 16 miliaribus à MACHKVERENDIS abest, hoc iter confecimus spacio quatuor dierum, per noctem tamen vnam tantum ibi commorati sumus, nam & ipsi quod comederent vix habebant, populus est latronibus apud nos non dissimilis.

Latrones.

Pugna inter Zachemiaisch, & Machkuerendas.

Habitant 20 miliaribus ab aqua, ne ab hostibus opprimi facilè queant. Hoc autem tempore quinque diebus ante nos ad mare venerant, vt piscarentur, & sese ad bellum contra MACHKVERENDAS præpararent. Numerus eorum 2000 est virorum.

Hinc discedentes ad nationem peruenimus quæ vocatur MAPENNIS. Numerus huius nationis est 10000 virorum, habitant hinc inde dispersi, in terra 40 miliaria in longitudine latitudineq; habente. Possunt duorum dierum spacio in terra marique omnes conuenire, plures habent CANAES vel ZILLAS, aliis nationibus quas hactenus videramus. Et in vna istarum CANAEN vel ZILLEN, 20 personæ sedere possunt.

Mapennis nauibus abũdat.

Pugna Christianorũ cum Mapennis.

Populus hic in aqua nos hostiliter excepit cum 500 CANAEN vel ZILLEN, sed tamen parum obtinuit, multos enim sclopetis interfecimus, ipsis nunquam ante hæc tempora visis, quemadmodum neq; Christianos vnquam viderant, cum autem ad ædes ipsorum venissemus, parum ipsis nocere poteramus, sitæ enim erant integro miliari à flumine PARANAV, vbi naues nostras habebamus, & pagum eorum copiosa & profunda aqua cingit, ita vt detrahere ipsis parum possemus.

Naues Indianorũ igne perdidimus.

Inuenimus tamen 250 CANAEN vel ZILLEN, easque igne perdidimus, nec audebamus etiam procul à nauibus nostris abire, periculum enim erat, ne ipsi naues nostras ab altera parte adorirentur. Reuersi sumus igitur ad naues nostras, pugnare ipsi & bella gerere non nisi in aqua possunt solentque.

Bellatores in mari.

Ad populum hunc MAPENNIS, à superiori loco, vbi proximè solueramus, ZCHEMIAS SALVAISCHO, 95 milliaria numeratur. Hinc discedentes, octo dierum spacio ad fluuium PARABOR peruenimus. Hunc fluuium ingressi plurimam turbam inuenimus qui vocatur KVEREMAGBAS. Hi quod comedant præter pisces & carnem non habent, abundat etiam regio ista siliquis vel fœnogræco, ita vt vinum etiam inde conficiant quod bibunt.

Siliqua fœnogræcum.

Hic populus admodum humanum sese nobis præbuit attulitque omnia quæ nobis ad victum necessaria fuerant, Homines sunt corpore procero & robusto tam viri quam mulieres.

Nares psittacorum plumulis ornatæ.

Mares exiguum aliquod foramen in naribus habent, in quod interdum plumulam aliquam psittacorum pro ornamento inserere solent, mulieres faciem cærulei coloris lineolis illustrare solent, quæ nunquam postmodum deleri possunt, pudenda linteolo gossypino

ſypino ab vmbilico ad genua vſque demiſſo, contegunt. Numerant à dictis MAPENNIS ad hoſce KVEREMAGBAS 40 milliaria, noſque triduum apud ipſos viximus.

Inde peruenimus ad nationem quandam, quæ vocatur AYGAIS. Hic populus ſimiliter piſcibus & carne veſcitur, vtriuſque ſexus homines, procero ſunt corpore, mulieres formę ſunt elegantioris, fucatæ, & circum pudenda velatæ, more quo ſupra. *Mulieres elegantes.*

Cum ad eos veniſſemus, arma ipſi capiebant, nobis bellum inferre volentes. Itaq; nos cum hoc videremus implorato diuino auxilio, inſtruximus aciem noſtram, terra marique cum ipſis pugnaturi. Et multos quidem ipſorum interfecimus, ex noſtris autem 15 viri ceciderunt, quibus Deus propitius eſto.

Hi AYGAI præſtantiſſimi ſunt milites, ſi pugnam in mari reſpicias, ſed terra tamen non multum præſtare poſſunt. *Optimi milites in India.*

Deduxerant ipſi prius in locum alium vxores & liberos ſuos, cibum vero & res alias occultârant, ita vt obtinere nihil apud illos poſſemus. Quid autem ipſis tandem acciderit, paulo poſt audietis, pagus ipſorum flumini cuidam adiacet, quod vocatur IEPEDII, labitur ad latus alterum fluminis PARABOR, prouenit ex montibus PERV de ciuitate DVECHKAMIN. Ad hoſce AYGAIS à dictis KVEREMAGBAS 35 miliaria numerantur.

Cap. IX.

RElictis poſtea hiſce AYGAIS peruenimus ad nationem CARIOS, 50 miliaribus ab AYGAIS diſtantem. Ibi tandem triticum turcicum inuenimus, vel MEIIS & MANDEOCHADE, PADADES, MANDEOCHPARPII, MANDEPOERE, MANDVRIS, VVACHEKV, &c. Quin & piſces & carnes, ceruos, apros, ſtruthios, oues Indicas, cuniculos, gallinas & anſeres. Mel etiam habent ex quo vinum conficitur, & goſſypij magnam copiam. *Triticum turcicum.* *Vinũ ex melle.*

Hi CARIOS amplam habent regionem 300 ferè miliaria longam, homines ſunt non ita proceri, ſed corpulenti, qui præ aliis ſuſtinere labores & pericula poſſunt. *Cariorum regio.*

Mares labia habent perforata, geſtantes in foraminibus iſtis cryſtallum fului coloris, ipſorum lingua PARABOR dictam, longam duas ſpithamas, & latam inſtar calami. *Cryſtallus in labiis.*

Vtriuſque ſexus homines cuiuſcunque ſint ætatis, nudi incedunt. Et pater quidem apud eos filiam, maritus vxorem quæ minus ei placet, vendere ſolet. Quin & frater ſororem vendere aut permutare poteſt. *Filiæ & vxores venales.*

Et precium mulierum eſt induſium vel culter vel ligo, vel aliud id generis. *Precium mulierum.*

ἀνθρωποφάγοι. Hi CARIOS vescuntur & humanis carnibus, quatenus eas habere possunt, itaq; quãdo in bello hostium aliquem capiunt, eum cuiuscunq; sexus & ætatis sit, prius saginare & pinguefacere solẽt ea ratione, qua in Germania sues saginantur. Quod si vero mulierẽ pulchram & formosam quis capiat, eam in suum vsum sibi aliquot annos retinet, peccantẽ vero statim interficit, & quasi nuptias celebraturus amicos suos ad conuiuium de hac muliere paratum inuitat. Senio tamen confecti ad mortem vsque laborare coguntur.

Saginatio hominum.

Formosæ mulieres mactãtur.

Hi CARIOS maiora, quam reliqui regionis RIO DELLA PLATA incolæ itinera facere solent, præstantissimi milites sunt in terra. Ciuitates & pagi ipsorum ad flumen PARABOE eminentes cernuntur, & pagus ipsorum olim dictus est LAMBERE.

Munitiones.

Ciuitas ipsorum cum duobus PALLASAITE, ex lignis extructa est, quorum singula latitudinem viri æquãt. Et vna PALLASAITE ab altera 12 passibus distat, ligna in terram defossa, eminẽt super terram tanta altitudine, quantam quis gladio assequi potest. Habuerunt etiam propugnacula fossis & mœnibus vndiq; cincta, præterea etiam ad passus 15 ab istis mœnibus foueas multas fecerant benè profundas, in quibus hastas ligneas admodum acutas, quę tamen non prominerent, occultârant, has foueas stramine & ramusculis arborum contexerant, terra herbida superimposita, in hunc finem, vt si fortè Christiani CARIOS persequerentur, vel ciuitatem ipsorum impugnarent, in foueas istas caderent. Sed hasce foueas sibiipsis parârant, nam & ipsi tandem in eas sunt prolapsi.

Stratagema.

Lambere obsessa.

Cum enim Dux noster IOHANNES EIIOLLAS, vniuersum populum (exceptis 60 viris ad PARCHKADIENES custodiẽdas relictis,) ordinasset, & instructa acie ad ciuitatem ipsorum LAMBERE proficisceretur, ipsi tanto interuallo quo sclopetis pertingere poteramus, nos cum exercitu suo, cuius numerus erat 40000 arcubus & sagittis armatorum, videntes, denunciabant nobis, vt ad PARCHKADIENES nostras nos rursus conferremus, se nobis victu & rebus necessariis aliis prospecturos, vt quam primum discedere rursus à sua terra possemus. Sin minus, se hostes nostros acerrimos futuros. Sed nobis, vt hoc faceremus persuadere nõ poterant, placebat enim nobis admodum regio ista, & cibus quo homines isti vtebantur, maximè cum quatuor annis integris nihil panis habuissemus, sed tãtum piscibus & carne vixissemus.

Indiani Christianis victum pollicentur.

Arreptis igitur arcubus & armis suis CARII, nos venientes hostiliter excipiebant, nos vero parcere ipsis volentes, ter denunciauimus, vt pacem seruarent, futuros enim nos ipsorum amicos nõ hostes, sed ipsi hãc denunciationem planè spernebant, nondum enim sclopeta bombardas & arma nostra gustârant. Itaque cum propius accessissemus, tormenta nostra in ipsos emisimus, qui audientes sonum istum, & videntes populum in terram prolabi, nulla tamen vel

sagitta

ſagitta vel globo ſed vulnere tantum in corporibus deprehenſo, admirati ſunt valde,& attoniti fuga ſibi conſulere ſtatuebant. Properabant igitur quam maximè poterant ad pagum ſuum,& inter properandum feſtinandumque ducenti ferè CARII in ſupra dictas foueas ſunt prolapſi. *Carij terrentur armis Chriſtianorum.*

Cap. X.

POſtmodum pagum ipſorum aggreſſi ſumus,ſed ipſi nobis pro virili in tertium vſque diem reſtiterunt. Tandem autem cum de victoria deſperarēt, & vxoribus liberiſque quos ſecum in pago habebant metuerent, gratiam implorabant, promittentes ſe nobis in omnibus gratificaturos,modo ipſis vitam largiremur. Adducebant etiam Duci noſtro IOHANNI EIIOLLAS, ſex mulieres,quarum maxima natu,erat annorum octodecim. *Carij cū Chriſtianis pugnant.* *Carij gratiam expetunt.*

Afferebant ei etiam ſex ceruos,& feras alias,rogantes vt cum ipſis maneremus, adiungebant etiam cuilibet militi duas mulieres, quæ ipſi lauando & coquendo inſeruirent. *Carij munera & victū Chriſtianis offerūt.*

De victu nobis & rebus neceſſariis aliis abundè proſpiciebant. Sic igitur inter nos & hoſtes noſtros CARIOS pax firmata eſt,quo facto cogebantur nobis propugnaculum ſeu arcem probe munitam ex lapidibus terra & lignis extruere, vt ſi fortè eos rurſus tumultum excitare accideret,eſſet vnde nos tueri poſſemus. *Carij arcem Chriſtianis extruunt.*

Pagum hunc CARIORVM, die NOSTER SIGNORA DESVMSIOŃ expugnauimus, Anno 1539,quam ob cauſam adhuc hodiè nomen hoc NOSTER SIGNORA DESVMSION, obtinet. *Noſter Signōra deſumſion.*

In hac pugna ex noſtris ceciderunt 16 viri. Manſimus autem ibi duos mēſes. Ab AIGAISSEN ad hoſce CARIOS 30 ſunt miliaria. Ab inſula vero BONE SPERANSO, hoc eſt, BONÆ SPEI, vbi THYEMBVS habitant,circiter 355 miliaria. *Numerus Chriſtianorum qui in pugna ceciderunt.*

Pactum autem cum hiſce populis CARIOS & fœdus fecimus ipſis promittentibus quod vellent nobiſcum ſocia arma capere, & cum 8000 viris contra dictos AIGAISSEN pugnare. *Fœdus cum Cariis.*

His ita peractis,aſſumpſit Dux noſter 300 Hiſpanos, & dictos hos CARIOS, reuerſuſque eſt per 30 iſta miliaria, terrâ partim & mari,ad ſupradictos AIGAIS, à quibus hoſtiliter & malè,(vt diximus) accepti eramus.

Cum in iſtum locum veniſſemus, aggreſſi ſumus eos in ædibus eorum incautos, cum adhuc dormirent, matutino nimirum tempore circa tertiam & quartam horam, CARII, enim, eos dormientes explorauerant,interfecimus igitur omnes ſimul homines nulli ætati parcentes,ita enim apud CARIOS moris eſt,vt palmam in bello obtinentes nulla miſericordia tangantur,ſed omnia interficiant & euertant. *Aigais à Chriſtianis oppreſſi.* *Carij miſereri hoſtium non poſſunt.*

Cap. XI.



Ostea accepimus ferè 500 nauiculas CANAEN vel ZILLEN dictas. Accensisque omnibus pagis quos inuenimus, multum damni dedimus. Post 4 menses veniebant, quidam ex AIGAIS, qui tum temporis in pugna nō adfuerant. Hi gratiam petebant, itaque in gratiam eos Dux noster recepit, iuxta mandatum Regiæ Maiestatis, quo cautum erat vt Indianis fidem fallentibus semel atque iterum id condonaretur, tertio autem fallentes in perpetuam seruitutem redigerentur.

Mandatū Regis. De Indianis in gratiam recipiendis.

His peractis reuersi sumus ad ciuitatem noster Signora desumsion, hoc est, assumptionis Mariæ, & ibi adhuc sex menses quieuimus.

Interim interrogari iussit Dux noster IOHANNES EIIOLLAS hosce CARIOS de natione alia, quæ vocatur PEIIEMBAS. Qui respondebant, à ciuitate sua DESVMSION abesse PEIIEMBAS 100 miliaribus, ascendendo flumen PARABOE.

Porro iussit eos Dux noster interrogari, an etiam populi isti PEIIEMBAS victum haberent, & quibus rebus viuerent, qualis item populus, & quæ conditio ipsorum esset. Ad hæc respondebant, PEIIEMBAS victum alium non habere quam pisces & carnem. Item fœnogræci vel siliquarum copiam, vnde farinam conficiunt qua pro cibo vtantur, quin & vinum ex hisce siliquis eos parare satis dulce. Et illud quidē vinum eundem cum mulso cuius in Germania vsus est, saporem habet.

Cibus populorum.

His perceptis & auditis, iussit Dux noster, vt CARII 5 naues frumento Asiatico, & aliis ad victum necessariis rebus implerent, & id quidem intra duos menses facerent, interea enim temporis velle etiam se cum suis viam adornare, vt primò quidem ad populum PEIIEMBAS, postea ad alium CARCHKARAISCH vocatum, proficiscerentur.

Quinque naues frumento Asiatico onusta.

Et CARII quidem se in omnibus morem gerere, & mandatum Ducis nostri fideliter exequi velle promittebant, Dux vero noster reparari naues fideliter procurabat, vt ad iter propositum nihil deesset.

Omnibus igitur in hunc modum paratis, conuocari populum Dux noster iussit, & de 400 armatis, 300 accepit, reliquis 100 in dicta ciuitate VARDELLESSE, hoc est, NOSTER SIGNORA DESVMSION vbi CARIOS populi habitant, relictis. Cum his 300, isto loco soluimus, & confectis quinis miliaribus semper pagum aliquem dictorum CARIOS offendimus, qui ad fluuium PARABOR habitant.

Cibus Christianis suppeditatur.

Hi in itinere suppeditabant nobis victum necessarium, pisces nimi-

nimirum & carnes, gallinas, item anſeres, oues Indicas, & ſtruthios.

Cum autem ad vltimum populorum Carios pagum veniremus, qui vocatur VVEYBINGEN, & 80 miliaribus à ciuitate NOSTER SIGNORA DESVMSION, abeſt, proſpeximus nobis de cibo & aliis rebus neceſſariis, quantum quidem fieri potuit.

Inde peruenimus ad montem qui vocatur S. FERNANDO, & ſimilis eſt illi quem BAGENBERG vocamus, ibi inuenimus dictos illos PEIIEMBAS, 12 miliaribus à VVEYBINGEN diſtantes. Hi nobis pacificè occurrebant, & amicè nos accipiebant, ſed ſimulato tamen animo, & falſo corde, vt audiemus. *Mons Fernando.*

Deducebant nos in ædes ſuas, & proponebant nobis piſces, carnem & ſiliquas in cibum. Permanſimus igitur 9 dies apud hoſce PEIIEMBAS.

Poſtea iuſſit eos interrogari Dux noſter de populo CARCHKAREISSO, qui reſpondebant, ſe certi aliquid de iſta natione commemorare non poſſe, audiuiſſe tamē, eam procul à ſua terra, in quadam regione, auro & argento abundante habitare, ſed ſibi viſum eſſe neminem. *Quæſtio de Carchkareiſſo.*

Referebant interim etiā CARCHKAREISSO eſſe homines albos, ſicut & nos Chriſtiani, abundare cibo, frumento Aſiatico, MANDEOCH, MANDVIS, PADADES VVACHEKEV, MANDEOCH PARPII, MANDEOCHADE, MANDEPARE, & aliis radicibus, carnibus item de Indianis ouibus. AMNE, quod animal, formam aſini refert, exceptis pedibus qui vaccarū pedibus ſimiles ſunt, pellem habet admodum craſſam & durā. Reperiri præterea apud eos multos ceruos, cuniculos, gallinas & anſeres, ſed neminem inter PEIIEMBAS eſſe affirmabant, qui hæc vidiſſet, omnia enim ex aliorum relatu ſe habere. Nos tamen poſtmodum rem omnem cognouimus & experti ſumus. *Deſcriptio animalis cuiuſdam Indici.*

Cap. XII.

POſtea poſtulabat Dux noſter vt aliqui ex iſtis PEIIEMBAS nobiſcum in iſtam regionem proficiſcerentur, quod ipſi nullo modo recuſabant, ſtatim igitur ſupremus PEIIEMBAS 300 Indianos Duci noſtro addidit, qui cum eo irent, & cibum aliaſque res neceſſarias portarēt. Iubebat igitur Dux noſter vt populus ſeſe ad iter pararet, quod poſt quatuor dies ingredi decreuerat, & de quinq; nauibus noſtris tres quidem confringi mādabat, duabus autem quæ ſupererant 50 milites imponebat, qui quinq; menſibus ibi eas in abſentia ſua cuſtodirent. Addito mandato, vt ſi interea temporis Dux noſter non rediret, cum duabus iſtis nauibus, rurſus ad ciuitatem NOSTER SIGNORA DESVMSION nauigaremus. Accidit autē vt apud iſtos PEIIEMBAS 6 menſibus cōmorantes, nihil de *Peiiembas cū Chriſtianis proficiſcuntur.*

noſtro

nostro Duce IOHANNE EIIOLLAS audiremus. Itaque cum cibo destitueremur, coacti sumus cum dato nobis gubernatore MARTINO THOMINGO EIIOLLA, rursus ciuitatem SIGNORA petere, iuxta mandatum nostri Ducis.

Quomodo autem Dux noster IOANNES EIIOLLAS iter suum perfecerit, libet iam paucis annotare.

Principio à PEIIEMBAS soluens, venit ad populum, qui vocatur NAPERVS, hi amicitia iuncti sunt cum istis PEIIEMBAS, preter pisces & carnem nihil habent, populus est admodum ingens. Ex his Naperis assumpsit etiam quosdam, qui iter ipsi monstrarent, & pergens multo cum labore, egestate & periculo multas nationes peragrauit, in quo itinere dimidia ferè Christianorum pars mortua est. Itaque cum ad populum PEIISSENNAS venisset, vlterius progredi non potuit, sed cũ populo suo, (exceptis tribus Hispanis, quos apud Peiissennas ægrotos reliquit) recedere coactus est.

Christiani in itinere mortui.

Non plus vltra.

Reuersus igitur SALVOMENDO, hoc est, saluus & incolumis, quod ad suam personam attinet, Dux noster IOHANNES EIIOLLAS ad NAPEROS, ibi ad tertium vsque diem substitit, propterea quod populus admodum debilitatus esset, & ipsi rebus ferè necessariis omnibus destituerentur.

Cap. XIII.

Fraudulẽtum Indorum consilium.



CÆterum NAPERII & PEIIEMBAS, consilio inito concluserant, Ducem nostrũ IOHANNEM EIIOLLAS cum suis interficere, quod etiam fecerunt, cum enim Dux noster IOHANNES EIIOLLAS vnà cum suis à NAPERIIS ad PEIIEMBAS proficisci vellet, & mediũ iam iter confecisset præter expectationem in sylua, per quam Christianis eundum erat, à NAPERIIS & PEIIEMBAS canum instar furentibus, oppressus, & cum omnibus quos secum adhuc habebat Christianis, miserè trucidatus est, ita vt ne vnus quidẽ effugerit, quorum animis Deus propitius esse velit.

Christiani miserè interempti.

Nos autem quinquaginta qui Noster Signora desumsion ciuitatem profecti eramus, & aduentum nostri Ducis ibi expectabamus, cum hoc cognouissemus, exponente nobis rem omnem Indiano quodam, qui mancipium IOHANNIS EIIOLLAS piæ memoriæ fuerat, quem ipse EIIOLLAS à Peiissennis populis acceperat, (huic enim propter linguam parsum erat) non poteramus ei fidem per omnia habere.

Nuncium de Christianorũ interitu.

Commorati sumus igitur per annum in dicta ciuitate Noster Signora, sed percipere de nostris militibus relationem nullam potuimus excepto, quod CARIOS populi nostro Gubernatori MARTINO DOMINGO EIIOLLA, indicarent, rumorem spargi, ducem

nostrum

nostrum cũ Christianis omnibus à PEIIEMBAS esse interfectum: Nos tamen credere hoc nõ poteramus, donec id à quodam Peiiembas confirmaretur. Post duos igitur menses, aduenientes CARII, adduxerunt ad gubernatorem nostrum MARTINVM DOMINGVM EIIOLLAS duos PEIIEMBAS quos ceperant. Qui quidẽ, à gubernatore nostro his de rebus interrogati, constanter negârunt se quicquam de ista cæde audiuisse, affirmantes Ducem nostrum cum populo suo, ex peregrina ista terra, in quam abierat, nondum esse reuersum. *Peiiembas negant.*

Itaque præfecto rerum capitalium mandatum est, vt duos hosce PEIIEMBAS torqueri faceret, quoad veritatem dicerent, quo facto fatebantur sese ex eorum numero esse, qui Christianos cum suo Duce interfecerant. *Peiiembas torturæ subiiciũtur.*

Post hanc confessionem ad supplicium condemnati sunt, ita quidem vt allegati ad arborem igne ad certũ interuallum extructo paulatim cremarentur & absumerentur. *Homicidæ cremantur.*

Interea placuit nobis omnibus MARTINVM DOMINGO EIIOLLAS generalem nostrum Ducem facere, maximè cum de vniuerso exercitu benè meritus esset, donec Regia Maiestas aliud quid mandaret atque disponeret. *Martinus Domingo in Ducem electus.*

Quo facto præcepit MARTINVS EIIOLLA quatuor naues, PARCHKADIENES, fieri, & assumpsit 150 armatos, reliquis in ciuitate NOSTER SIGNORA DESVMSION relictis, dixitque se populum nostrum apud THYEMBAS relictum, similiter 160 illos Hispanos qui in ciuitate BONAS AEIERES cũ duabus nauibus manserant, in dictam ciuitatem NOSTER SIGNORA DESVMSION adducturum, atque ita cum quatuor istis PARCHKADIENES in flumine PARABOE & PARANAV discessit. *Christiani colliguntur.*

Cap. XIIII.

ANtequam ad THYEMBAS venissemus, concluserant Christiani qui nos ibi expectabant, nempe centurio FRANCISCVS RIVS, IOHANNES PABAN sacerdos, & IOHANNES ERNANDVS, secretarius, substituti nimirum gubernatores Christianorũ, quod supremum THYEMBAS Ducem, & cum eo Indianos alios interficere vellent, quod ipsum etiam crudelissimè fecerãt, Indianos eos, qui longo tempore omnia ipsis beneficia exhibuerãt, turpiter interficientes, priusquã nos cũ MARTINO DOMINGO EIIOLLA venissemus. *Cõsilium cruentum Francisci Rius, & Iohannis Paban.*

Cap. XV.

CVm autem Dux noster MARTINVS EIIOLLA nobiscũ ex ciuitate NOSTRA SIGNORA DESVMSION, ad dictos THYEMBAS & Christianos veniret, obstupuit valdè propter facinus hoc perpetratũ, & quod THYEMBAS in fugam versi essent.

Sed factum infectum reddere non poterat, itaque præsidio & cibo necessario in CORPORIS CHRISTI relicto, 20 armatos cum Decurione quodam ANTONIO MANCHOSSA, eò collocauit, seriò & sub pœna mortis præcipiens, vt Indianis nullo modo fiderent, sed nocte dieq; in excubiis essent. Et si fortè Indiani venirẽt, amicitiam eorum rursus ambientes, iussit vt rem istam cautè agerent & omni quidẽ beneuolentia eos acciperent, sed in omnibus tamen viderent, ne vel sibi vel Christianis detrimentum & damnum inferretur.

Postea, assumpsit secum Dux noster MARTINVS DOMINGO EIIOLLAS, supra dictos, FRANCISCVM RIVM, sacerdotem IOHANNEM PABAN, & ERNANDVM, secretarium, tanquam authores & causas istius cædis, & à nobis discessit, sed antequam discederent, venit quidam primas ex illis THYEMBAS cui nomen erat ZEICHE LYEMII. Hic simulabat se Christianorum amicum esse, & excusabat sese verbis admodum humanis, sed simulatis & fictis, quod non posset per omnia THYEMBAS vitare, id enim fieri propter vxorem, liberos & cognatos alios, sed colere se tamen nobiscum amicitiam, affirmabat, & hortabatur Ducem nostrum MARTINVM DOMINGO EIIOLLAS, vt Christianos omnes secum abduceret, communi enim consilio ab Indianis decretum esse, quòd Christianos interficere & extirpare vellent. Huic respondit Dux noster MARTINVS DOMINGO EIIOLLA, se quidem statim reuersurum, cæterum populum suum satis habere virium ad reprimendos Indianorum impetus, addebat præterea, eum ZEICHE LYEMII debere vnà cum vxore & liberis, sese Christianis adiungere, vel si vellet cũ vniuerso suo populo. Ad quod respondit ZEICHE LYEMII, se ita facturum.

Amicus dolosus.

Christiani præmonentur.

Soluebat igitur Dux noster MARTINVS DOMINGO EIIOLLA nobis hic solis relictis. Cæterum post octo ferè dies, misit dictus ille THYEMBVS ZEICHE LYEMII aliquem ex fratribus suis, nomine SVELABA, qui subdolè & fraudulenter peteret, vt gubernator vel Decurio noster ANTONIO MANCHOSSA sex milites armis suis instructos, ad se mitteret, cõstituisse se enim familiam suam ad nos trãsferre, & nobiscum imposterum habitare, vereri se autem reliquorum THYEMBVS iniuriam, nec posse se res suas sine nostro auxilio ad nos traducere. Promittebat vero se nobis allaturum victum & quicquid necessarium videretur, sed hæc omnia dolosè & fraudulenter erant conficta. Verum noster centurio, ipsi non tantum sex, sed totos 50 Hispanos armis suis probè instructos adiunxit, monens tamen vt viderent ne quid detrimenti ab Indianis acciperent.

Non aberant isti THYEMBVS à nobis vltra dimidium miliare ad quorum ædes cum milites nostri accessissent, osculo Iudæ excepti sunt, proposito ipsis cibo, piscibus nimirum & carne.

Iudæ osculum.

Sed

Sed inter edendum, prorumpebant THYEMBVS qui sese in ædibus absconderant, & eos ita tractabant, vt nemo euadere posset, excepto vnico puero qui vocatur KALDERON. Deus ipsis esto propitius, Amen.

Quin etiam eodem tempore ciuitatem nostram obsidebant circiter 10000 Indiani, eam expugnaturi, quod tamen ipsis Dei beneficio non successit, quamuis totos 14 dies in obsidione essent, & impetus non leues die nocteq; fecissent. Fecerant ipsis hac vice longas hastas, quas tamen à Christianis acceperāt, cum illis pugnabant & resistebant nobis acriter.

Accidit autem, vt nocte quadam summis viribus irruptionem facerent, & ignem in ædificia nostra proiicerent, quo viso accurrit centurio noster ANTONIVS MANCHOSSA cum Rhomphæa ad portam quandam, ibi absconderant sese quidam Indiani, vt videri non possent, hi lanceas in eum suas mittentes, medium confoderunt, vt ne verbum quidem amplius loqueretur, Deus misereatur animæ ipsius.

Antonius Mãchossa interemptus.

Sed Indiani quidem diutius sese sustentare non poterant, destituebantur enim omni cibo, itaque relicta nostra ciuitate discesserunt. Postea adueniebant duæ BBRGENTIN nauiculæ cibo onustæ, quas Dux noster ex ciuitate BONAS AEIERES nobis miserat vt ibi eius aduentum expectare melius possemus. Gaudebamus igitur nos quidem, sed qui cum duabus BBRGENTIN venerant, dolebant admodum vicem Christianorum à nostra parte occisorum. Conclusimus igitur communi consilio, non diutius in corporis Christi apud THYEMBVS commorari, & conscensis nauibus, omnes ciuitatē BONAS AEIERES petiimus & ad nostrum Ducem MARTINVM DOMINGO EIIOLLA peruenimus, qui quidē aduentu nostro stupefactus, dolebat admodum cladem populi, nec quid faceret sciebat, siquidem & victu propemodum omni iam destituebamur.

Consultatio Christianorũ.

Christiani in ciuitate Bonãs Aeieres conueniunt.

Cæterum cum 5 dies in BONAS AEIERES fuissemus, aduenit ecce nauis quædam ex Hispania cui nomen est CARABELLE, quæ referebat nauem aliam venisse ad S. CATHARINAM, cuius Dux vocaretur ALBERVNZO GABRETO habens secum 200 armatos ex Hispania aduectos.

Hoc cum audiuisset Dux noster, iussit præparari ex duabus istis nauibus, nauem vnam, quam vocant GALION, & misit eam primo quoque tempore ad S. CATHARINAM in PRIESIELL, sitam 30 miliaribus à ciuitate Bonas Aeieres, addito ei gubernatore, cui nomen erat CONSSAILLO MANCHOSSA. Huic simul in mandatis dedit, vt cum ad S. CATHARINAM in PRIESIELL venirēt, nauem suam oryza, MANDEOCH & aliis victualibus pro suo arbitrio impleret.

Poſtulabat igitur Gubernator hic CONSAILLO MANCHOSSA, ſibi à Duce noſtro ſex milites concedi, quibus fidere tutò poſſet, quo impetrato, aſſumpſit me, vnà cum ſex Hiſpanis, cæterorum autem militum & nautarum erant viginti perſonæ.

Soluentes autem ex ciuitate BONAS AEIERES, ſpacio vnius menſis ad S. CATHARINAM peruenimus, vbi inuenimus dictam nauem quæ ex Hiſpania aduenerat, & Ducem eius ALBERVNZO GABRETO cum populo ſupra dicto. Lætati igitur ſumus admodum, & duos menſes ibi permāſimus, implentes interea nauem noſtrā Oryza, MANDEOCH & frumento Aſiatico, quantum capere poteramus.

Soluimus deinde cum duabus iſtis nauibus, & Duce iſto ALBERVNZO GABRETO atque vniuerſo populo, S. CATHARINA ad ciuitatem BONAS AEIERES profecturi, & peruenimus 20 miliaria ad fluuiū PARANAV VVASSV. Hic fluuius in ingreſſu habet in latitudine 40 miliaria quæ latitudo 80 miliaria durat, vſq; ad portum S. GABRIEL dictum, vbi fluuius hic in latitudine habet 8 miliaria.

Deſcriptio fluuij Paranau VVaſſu.

Cap. XVI.



Vm igitur vt dixi, 20 tantum miliaribus abeſſemus ab hoc flumine, circa veſperam quæ præcedit diem omnium ſanctorum, conuenerunt rurſus duæ iſtæ naues, cumque alter alterum interrogaret, an in flumine PARANAV eſſemus, reſpondit nauclerus noſter nos in flumine iſto eſſe, nauclerus autem alter dicebat nos 20 adhuc miliaribus à flumine iſto abeſſe.

Cum enim in mari duæ vel plures naues ſimul nauigant, ſolent iſtæ ſemper circa veſperam congregari, vbi alter alterum interrogat quot miliaria confecerint, & quo vento ea nocte vti velint, ne nimium ſeparentur.

Mos & conſuetudo nautarum.

Poſtea interrogabat noſter nauclerus, alterum, an ſua naui ſe ſequi vellet, qui reſpondebat, ſe in mari manſurum iſta nocte donec dies rurſus oriretur, nec velle ſe noctu ad littus appellere. Hic nauclerus prudentior erat noſtro vt mox audietis.

Prudentiæ nauticæ exemplum.

Cum autem nauis noſtra relictâ alterâ progrederetur, experti ſumus maximā vim ventorum, ita vt circiter horam duodecimam vel primam noctis, terra nobis appareret priuſquam anchoram noſtram firmare poſſemus.

Nauis alterā deſerit.

Cum igitur nauis noſtra in terram ſiue ſcopulum allideretur, & nos adhuc miliare vnum à littore abeſſemus, aliud quidem conſilij inuenire non poteramus, quam vt rebus noſtris Deo commendatis, diuinam miſericordiam imploraremus. Hoc facientes ecce alliſa ad ſcopulum nauis frangitur, pereuntibus in mari 15 viris & 6 Indianis. Aliqui tamen arreptis aſſeribus euaſerunt. Ego & quinque alij malo adhæ-

Naufragium.

adhærentes ſaluati ſumus, ſed de 15 iſtis perſonis, neminem amplius vidimus, Deus ipſorum animis propitius eſſe velit, Amen.

Poſtea coacti ſumus 100 miliaria pedibus conficere, donec ad portum S. Gabriel veniremus, carentes omni victu, qui cum veſtimẽtis & rebus noſtris aliis in naui perierat, & radicibus & aliis ex terra ibi naſcentibus nos interim ſuſtentantes. Cum igitur ad portum S. Gabriel veniſſemus, inuenimus ibi ſupra nominatã nauem, quę cum Duce ſuo 30 diebus ante noſtrum aduentum eò venerat.

Naufragi ad S. Gabriel perueniunt.

Noſter vero Dux Martinvs Domingo Eiiolla cognito hoc infortunio admodum turbatus eſt, nec cogitare aliud potuit, quam omnes nos in mari periiſſe, itaque & vigiliis & precibus pro ſalute animarum noſtrarum ſupplicare & intercedere ſuos iuſſit.

Vigiliæ & preces.

Cumque in ciuitatem Bonas Aeieres veniremus, vocauit ad ſe Dux noſter Martinvs Domingo Eiiolla gubernatorem quem ablegauerat, & Pilottam ſiue nauclerum, volens de nauclero ſupplicium ſumere. Et fuiſſet quidem ipſe ſuſpenſus, ſed multorum interceſſione & precibus liberatus, cogebatur quadriẽnium in nauibus Bergentin manere.

Pilotta à patibulo liberatus.

Cum igitur, omnis populus in ciuitate Bonas Aeieres conueniſſet, præcepit Dux noſter præparari nauiculas Bergentin, & coniuncto vniuerſo populo, maiores iſtas naues exuſſit, ferrũ tamen cõſeruauit atq; repoſuit. His ita peractis profecti rurſus ſumus ad ciuitatem Noſter Signora deſumſion, ibiq; biennium commorantes, reſolutionem & mandatum Regiæ Maieſtatis expectauimus.

Interea venit Dux quidam alius ex Hiſpania nomine Albervnzo Cabessa de Bacha. Hunc Regia Maieſtas gubernatorem quatuor nauium (ex quibus duæ magnæ, & duæ Karabella erant) 400 armatis & 30 equis dederat. Hic cum ad portũ quendam in Priesiel, qui vocatur VViessaii, vel ad portum cui nomen eſt S. Catharina, vna cum ſuis veniſſet, conſtituit ſibi de victu & rebus neceſſariis aliis proſpicere, emiſitque duas Carabelle ad octo ferè miliaria ab iſto portu, ad emẽda victualia, quas Carabelle ingẽs in mari tempeſtas oppreſſit, ita vt exceptis hominibus, ambæ interierint. Hoc infortunium cum Dux ille cognouiſſet, nõ audebat ſeſe amplius mari committere, maxime cum maiores iſtæ naues admodum ruinoſæ eſſent, itaque illas confringi præcepit, & terrâ ad nos Rio della plata in ciuitatem Noster Signora circa flumen Paraboe ſitam profectus eſt, afferens ſecum 300 milites, qui de 400 remanſerant, reliquis fame & morbis diris ſublatis.

VViessaii portus.

Naues ſubmerſæ.

Naues franguntur.

Hic Dux in itinere octo menſibus fuit, & à portu iſto S. Catharina ad ciuitatem Noſter Signora deſumſion 500 miliaria numerantur.

Afferebat autem etiam ex Hiſpania de gubernatione ſua, Regiæ

Gubernatio supremi Ducis.

Maiestatis mandatum, postulans vt Dux noster MARTINVS DOMINGO EIIOLLA gubernationem & imperium sibi planè cederet,& vniuersus populus sibi imposterū pareret. Huic requisito Dux noster MARTINVS DOMINGO EIIOLLA cum populo suo non repugnabat, modo certis & illustribus documentis probare posset hoc imperium à Regia Maiestate sibi datum, verum documenta ista extorquere nemo poterat, itaque sacrificuli & duo vel tres centuriones effecerunt, vt dictus ALBERVNZO CABESSA imperium obtineret, & populo postmodum præesset, sed de successu & gubernatione eius imposterum audiemus.

Cap. XVII.

Numerus Christianorum.



Rincipio igitur exploratione populi facta, cognouit dictus ALBERVNZO CABESSA numerū nostrorum militum esse in vniuersum 800 virorum. Quo tempore etiam fraternitatem cum MARTINO DOMINGO EIIOLLA contraxit, ita vt MARTINO DOMINGO EIIOLLA nō minus iuris in populum, quam antea, haberet.

Post hunc delectum & lustrationem quasi populi, iussit ALBERVNZO CABESSA de BACHA, 9 nauiculas BERGENTIN parari, constituitque in altum fluminis PARABOE nauigare, quousque possit. Sed interea tamen temporis antequam naues istæ parentur, tres BERGENTIN emisit cum 115 viris, iubēs vt nauigarent quousque possent, & Indianos peruestigarent, qui haberent MANDEOCH, & frumentum Asiaticum, quod est MEIIS. Additis ipsis duobus Decurionibus, qui erant ANTONIVS GABERO & DIEGO TABELLINO.

Bergentine emittuntur ad quærendū victum.

Venimus igitur primo ad nationem quandam, quam vocant SVRVKVFERS. Hæc natio abundabat frumento Asiatico, MANDEOCH & aliis radicibus veluti MANDVES, quæ nucibus auellanis non absimiles sunt, & aliis; habet etiam pisces & carnes. Viri in labiis cæruleos lapillos gestant magnitudine calculorum, quibus in fritillo vtimur. Mulieres circum pudenda velatæ incedunt.

Lapides cærulei in labiis.

Relictis apud hunc populum nauibus & quibusdam qui eas custodirent, terram istam quatuor diebus perlustrauimus, & inuenimus pagum quendam CARIORVM, quorum numero ferè 3000 erant, cumque cum ipsis locuti essemus, reuersi sumus ad naues nostras & proficiscentes labente fluuio PARABOE, venimus ad nationem quam vocāt ACHKERER. Hic oblatæ sunt nobis literæ à Duce nostro ALBERVNZO CABESSA de BACHA scriptæ, quibus præceptum erat vt supremum Indianorum eius loci Ducem, ACHKERE vocatum, suspenderemus. Hoc mandatum sine vlteriori delibera-

Achkerè Dux Indianorum strangulatur.

liberatione tribunus noster impleuit, vnde ingẽs postmodo bellum ortum est, vt iam sequetur.

Post strangulatum hunc Indianum, reuersi rursus sumus ad ciuitatem NOSTER SIGNORA DE SVMSION referentes Duci nostro ALBERNVNZO CABESSA de BACHA quicquid hoc itinere à nobis cognitum & effectum fuisset. Postulabat igitur à supremo Indianorum, qui in ea ciuitate NOSTER SIGNORA DE SVMSION erant, præfecto, vt 2000 Indianos nobis adiungeret, qui nobiscum flumen PARABOE ascenderent. *Christiani auxilium Indianorum petunt.*

Huic petitioni nihil CARII repugnabant, monentes saltem Ducem nostrum, vt deliberaret quid ex re sua futurum esset, totam enim regionem DABERE CARIORVM in armis esse, qui DABERE frater strangulati istius ACHKERES, fuit & mortem fratris sui in Christianis vlcisci voluit. *Dabere cõtra Christianos in armis.*

Cogebatur igitur Dux noster hoc iter intermittere & sese ad pugnam parare. Quare iurato suo fratri MARTINO DOMINGO EIIOLLA, mandabat vt acceptis 400 & 2000 Indianis dictis istis DABERE vel CARIOS obuiam iret, & eos cum omnibus suis extirparet.

Huic mandato obtemperans MARTINVS DOMINGO EIIOLLA proficiscebatur cum hoc populo ex ciuitate NOSTER SIGNORA DESVMSION, in occursum hosti, admonens eos primo nomine Regiæ Maiestatis, &c. Sed hic DABERE hanc admonitionem respuens nolebat vllas conditiones pacis accipere; habebat enim ingentem exercitum, & firmârat pagos suos PALLISATTE, hoc est, muro ligneo, ita quidem vt quilibet pagus tres eiusmodi muros haberet, preter fossas quamplurimas, de quibus supra diximus. Sed hæc præsidia nobis iam erant explorata. *Expeditio cõtra Dabere.* *Pallisatte murus ligneus.*

Itaque in quartum vsque diem in expeditione fuimus, donec victoria consecuta, tribus horis ante exortum solem, in pagum irrumperemus, & quicquid nobis occurrebat interficeremus, comprehensis & in vincula coniectis multis mulieribus.

In hac pugna 16 Christiani ceciderunt, & multi vulnerati sunt. Non pauci item qui à nostris partibus erant Indiani interfecti. Sed ipsi parum profecerunt, nam ab ipsorum parte circiter 3000 ex CAMBELLES trucidati sunt. *Pugna Christianorũ cum Daberis.*

Paulo post venit DABERE cum populo suo, & implorans gratiam, petiit vt redderemus ipsis vxores & liberos suos, promisitq; se nobis subiectos in omnibus semper futuros, itaque Dux noster de mandato Regiæ Maiestatis, in gratiam eum recepit. *Daberi gratiã implorant.*

Firmata pace, reuersi sumus ad generalem nostrum Ducem ALBERNVNZO CABESSA de BACHA referentes ipsi quomodo res esset gesta. Qui consilio inito, de ꝓposito suo itinere cõtinuando, requirebat ab isto DABERE, 2000 benè armatos Indianos, q nobiscũ irent, *Fœdus Christianorũ cum Daberis.* *Indiani 2000 milites Christianis assignant.*

irent. His nulla difficultate impetratis, iubebat CARIOS, 9 nauiculas Bergētin, rebus necessarijs instruere. Quo facto assumpsit de 800 Christianis, 500, reliquis 300 in ciuitate Noster Signora desumsion relictis, quibus centurionem dedit IOHANNEM SALLEISSER, & ita vnà cum 500 Christianis atque 2000 Indianis discessit, flumen PARABOE ascendendo.

Præsidium ciuitatis Noster Signora.

Numerus Bergentin & Zillen.

CARIOS populi habebant 83 CANAEN vel ZILLEN; Nos vero Christiani habebamus 9 nauiculas BERGENTIN, & in qualibet naui duos equos, sed equi quidem hæc 100 miliaria, in terra confecerunt, Nos vero aqua profecti sumus vsque ad montem; qui vocatur S. FERNANDO, vbi equis nostris in naues receptis, denuo soluimus & ad hostes nostros PEIIEMBAS peruenimus, qui quidem nostrum aduentum non expectârunt, sed cum vxoribus liberisque aufugerant, pagis suis & ædibus flamma exustis. Postea 100 miliaria progressi populum nullum cōspeximus, donec ad nationem quandam veniremus, quæ BACHEREOS vocatur. Natio est admodum populosa, extenditur ad 100 miliaria, abundat piscibus & carne, reperiuntur etiam ibi multæ nauiculæ CANAEN de quibus non attinet multa scribere, mulieres velatis incedunt pudēdis, nobiscum loqui nolebant, sed visis nobis fugam dabant. Ab his peruenimus ad nationem quandam SVRVKVSIS dictam, vbi supra dictæ tres naues erant. Populus hic à BASCHEREIIS 90 miliaribus abest, excipiebant nos admodum humaniter, singuli cum vxore & liberis suis seorsim habitāt, viri orbiculum ligneum calculi instar lusorij ab auricula dependentem habent. Mulieres labia exornant lapide crystallino fusci coloris, magnitudine vnius digiti. Formæ sunt elegantis & nudo corpore incedunt. Natio est admodum magna, frumento Asiatico, MANDEOCH, MANDVIS, PADADES, piscibus & carne abundans. Cæterum Dux noster interrogabat eos de CARCHKAREIS. Itemque de CARIOS, verum ipsi de CARCHKAREIS respondere non poterant, de CARIIS dicebant, eos adhuc in ædibus suis esse, sed res aliter habebat.

Orbis ab auricula dependēs.

Mulieres formosæ.

Frumentum Asiaticum.

Cap. XVIII.

Præparatio ad iter.



POstea præcepit Dux noster, vt nos ad iter pararemus, velle se terram siue regionem istam perlustrare relictis apud naues 150 viris. Atque ita acceptis 350 Christianis, 18 equis & 2000 Indianis vel CARIOS qui ex ciuitate NOSTER SIGNORA DESVMSION nobiscum venerant, ad perlustrādam terram abiit. Progressi autem 18 diebus; cùm neque CARIOS nec quenquam hominum inueniremus, & iam victu necessario ferè destitueremur, coacti sumus cum Duce nostro ad naues nostras reuerti, præsertim cum

Non plus vltra.

cum Dux noster ad res gerendas parum esset idoneus, & paucos ex militibus sibi fauentes haberet. Cumq; reuerteremur præmisit Hispanum quēdam FRANCISCVM RIEFFERE vnà cum 10 aliis armatis, iussitq; vt 10 diebus progrederentur, & si interea temporis populum nullum inuenirent, ad naues nostras redirent, vbi eorum aduentum vellet expectare. *Milites duci non fauent.*

Hi inter eundum inuenerūt nationem Indianorum admodum populosam, frumento Asiatico, MANDEOCH & radicibus aliis æquè vt cæteri abundantem. Verum Hispani populū istum accedere non audebant, sed ad nos reuersi sunt, referentes Duci nostro quod viderant, hoc audito constituit cum exercitu eò excurrere, sed aqua impeditus illud intermisit. Nauē igitur 80 viris instruxit, & addito nobis cēturione ERNANDO RIEFFERE misit nos in altum fluminis PARABOE ad quærendum populum, qui vocatur SCHERVOS, addito mandato, vti isthic loci duos saltem dies in terra progrederemur, & ipsi postea referremus regionis & populi istius statum. *Exploratores regionis.* *Vis aquarum expeditionem impedit.*

Soluentes igitur, primo statim die, ad 4 miliaria peruenimus ad nationem quæ vocatur SVERVEKVESIS, hi populi in Insula quadam 30 ferè miliaribus longa, & vndique fluuio PARABOE cincta habitant. Vescuntur MANDEOCH, MEIIS, MANDVIS PADADES, MANDEPORE, PARPII, BACHEKV & aliis radicibus, piscibus item & carne. Viri & mulieres supradictis SVRVKVSIS similes sunt. Apud hosce populos per noctem mansimus, sequenti vero die 10 CANAEN vel ZILLEN, nos comitati sunt, vt iter nobis monstrarent, & nobis cibū subministrarent, bis enim quotidiè feras & pisces capiebant, quibus vesceremur. In hoc itinere sex diebus eramus, & postea peruenimus ad nationem, quā vocant ACHKERES, populum valdè copiosum, tanta in vtroq; sexu proceritate, quanta nullos tota RIO DELLA PLATA homines vidi. Hi ACHKERES tribus miliaribus à SVERVEKVSIS absunt, quod comedant præter pisces & carnem non habent, mulieres circū pudenda velatæ sunt. Apud hosce ACHKERES diem vnū substitimus, quo die dicti SVRVKVSI suis CANAEN domum sunt reuersi. Illis discedentibus, postulabat centurio noster ERNANDO RIEFFERE, vt ACHKERIS viam nobis monstrarent, ad SCHERVOS, qui prompti, octo nobiscum CANAEN profecti sunt, & vt haberemus victum necessariū, bis in die pisces & feras ceperunt. Hæc autem natio cur ACHKERI dicti sint, hæc est causa. *Cibi.* *Homines procert.*

ACHKARVS piscis est tam duram habens cutem, vt neq; cultro neque sagitta Indica lædi & vulnerari possit, non exiguæ est magnitudinis, & multum damni reliquis piscibus infert. Oua eius quæ ad tres vel quatuor passus ab aqua in terram ponit, saporem Moschi habent, cibum prębet bonum, & minimè noxium per se, cauda eius in deliciis habetur. *Achkari etymon.* *Descriptio mirandi piscis. Moschus ex pisce.*

In Germania nostra putatur hic piscis admodum noxium & pesti-

Nota Basiliscus, Crocodilus. pestiferum esse animal, & vocatur crocodilus, estque communis opinio, eum qui hunc piscem saltem intuetur, etiamsi piscis habitu infectus non sit, certissima morte mori, quod quidem veritati consentaneum esse nemo negauerit, siquidem homini, etiamsi crocodilum non aspiciat, certo certius moriendum est.

Pisces speculo interficere. Dicitur etiam vulgò, quod si piscis hic in fonte quodam reperiatur atque appareat, nullam esse rationem aliam eum interficiendi, quam si speculum ipsi opponatur, in quo sese ipsum contemplari & intueri possit, tum enim aspectu suæ ipsius deformitatis subitò eum interire & mori.

Hæc autem omnia quæ de hoc pisce proferuntur figmenta sunt & fabulæ, si enim vera essent, vel centies mortuus fuissem, qui piscium illorum vltra 3000 cepi & comedi, neque etiam de hoc pisce aliquid scripsissem, nisi naturam ipsius probè cognitam & perspectam haberem.

Homines barbati. Cæterum cum venissemus ad populum SCHERVIS, quo ab ACHKERES 36 miliaria numerantur, quæ 9 diebus emensi sumus, deprehendimus, nationem eam esse satis populosam, sed tamē non erant isti SCHERVES apud quos Rex Indorum habitat. Hi SCHERVES autem barbati sunt, & circulum ligneum ab auricula depēdentem habent, ita vt aures circulo isti mirabiliter sint circumuolutæ. Viri etiam lapidem crystallinum cærulei coloris, instar calculi lusorij in labiis gestant.

Cap. XIX.



Viri picti. PORRO hi homines picti sunt cæruleo colore, à vertice vsque ad genua, & pictura repræsentat formam caligarum.

Fœminæ artificiosè pictæ. Fœminæ vero alio modo pictæ sunt, nempe cæruleo quidem colore à pectore vsq; ad pudenda, sed tam artificiosè, vt non facilè apud nostros pictorem inuenire possis, qui artem istam imitari possit.

Auerte oculos. Incedunt corpore plane nudo, & formæ sunt suo quidem modo satis elegantis, ita vt nec in tenebris ab eis abhorreres.

Apud hos SCHERVIS commorati sumus vnum diem, & postea constituimus tribus diebus ad Regem quendam proficisci habitantē 14 miliaribus ab hisce populis, apud homines qui etiā SCHERVI vocantur, sed regio eius quatuor tantum habet miliaria, excepto pago quodam ad flumen PARABOE sito.

Reliquimus autem in loco superiori nauem nostram, & 12 Hispanos, qui eam custodirent, donec nos reuerteremur, dato SCHERVIS mandato, vt Christianis ibi commorantibus, omnibus humanitatis officiis adessent, quod etiam fecerunt.

Nos

Nos vero adhuc biduum ibi commorati, ad iter nos rebus necessariis omnibus parauimus; postmodũ traiecto isto flumine PARABOE ad Regem peruenimus isthic loci habitantem.

Rex Scheruorum.

Cap. XX.



CVm autem non vltra miliare vnum à loco isto abessemus, venit nobis obuiam ipse SCHERVORVM Rex, vnà cum duodecim millibus virorum, in plano campo, pacificè, via qua incedebant octo passuũ lata erat, floribus & gramine ad pagum vsque strata & exornata, ita vt ne lapis quidem vel lignum vel aliud quid in ea appareret. Rex iste secum musicã suam habebat, tympanistas & tibicines, & tum quidem temporis pręceperat, vt ab vtroque latere subditi ceruos & alias feras venarentur. Et ista quidem venatione 30 ferè ceruos & 20 struthios vel IARDV acceperunt, ita vt spectatu iucunda esset venatio. Cum autem pagum ipsorum ingressi essemus mandauit Rex singulis ædibus binos introduci Christianos, & tribunum nostrum cum suis ministris in ædes regias assumpsit, ego vero in ædes non procul à Regiis ædibus distantes introductus sum. Tum præcepit Rex SCHERVORVM, vt subditi sui nobis Christianis de rebus omnibus necessariis prospicerent. Et Rex quidem vitam regiam & satis pro ratione istius loci, splendidam agebat.

Flores paradisi.

Christiani à Rege Scheruorum humaniter excepti.

Tibicines in mensa adesse & in prandio eum exhilarare cogebantur, quin & choreas cum formosissimis quibusque fœminis viri artificiosissimè inter edendum ducebant, quas quidem tanta cum voluptate & admiratione aspeximus; vt vel ciborum obliuiscere-mur.

Musici.

Chorea.

Populus hic Scheruis per omnia similis est, de quibus supra dictum est, fœminæ ipsorum pallia ex gossypio faciunt, & variis imaginibus ceruorum, struthiorum, ouium Indicarũ, & aliarum rerum intertexunt, quæ quidem variis vsibus accommodantur. Fœminæ hæ admodum elegantes, affabiles & artis amatoriæ peritissimę sunt, & vt mihi quidem videtur calidioris temperamenti.

Pallia gossypina.

Hoc igitur in loco quatuor diebus commorati sumus, interea interrogabat Rex, tribunum nostrum, cuius rei gratia aduenisset, & quò dirigere iter suum vellet, cui respondit tribunus siue capitaneus noster, aurum sese & argentum quærere. Obtulit igitur ei Rex coronam argenteam, Marcam vnam cum dimidia habentem. Item PLENISCHE vnum ex auro puro spithamam cum dimidia longam, & dimidiam spithamam latum, præterea etiam PRVSSELLET, hoc est, thoracem argenteum & vasa argentea alia, dixitque se neq; auri neque argenti plus habere. Has res autem ex bello sese cum AMAZONIBVS quondam gesto accepisse.

Corona argentea. Plenische aureum.

 Cum-

Cumque AMAZONVM meminisset, & diuitiarum quibus ipsi abundant, interrogabat capitaneus noster, quot miliaribus dicti AMAZONES abessent, & nunquid mari ad eos peruenire possemus. Cui respondit Rex, mari ad eos peruenire nos non posse, terra vero si ad eos ire vellemus, iter illud nō posse nisi duobus mensibus continuis absolui. Atque vt de AMAZONIBVS aliquid annotem:

De profectione ad Amazones.

Fœminæ AMAZONES, vnam tantum habent mamillam, viros suos ter vel quater in anno ad se admittunt, atque vbi grauidæ infantem masculum pariunt, eum post partum viro vel patri transmittunt.

Mulieres vnā mamillam habentes.

Fœmellam vero si enitantur, eam apud se retinēt, & dextram ei mamillā exurunt, ita vt renasci amplius non possit, cuius rei causam habent vt capiendis armis & arcubus aptiores fiant, bellatrices enim fœminæ sunt & maxima aduersus hostes suos bella gerunt.

Amazones cur mamillam exurant.

Fœminæ hæ in Insula habitant satis magna, & aqua vndiquaque cincta, ad quam non nisi istis CANAEN nauibus, accedi potest. Atqui in hac Insula AMAZONES aurum & argentum non habent, sed in TERRA FIRMA, quæ regio est vbi viri habitant, maximas habent diuitias. Natio est ingens & populosa, & Regem habent nomine IEGNIS.

Rex Amazonum

Petiit autem noster centurio, ERNANDO RIEFFERE, vt dictus SCHERVORVM Rex, aliquos nobis ex subditis suis adiungeret, qui supellectilem nostram portarent, & iter nobis monstrarent, velle enim se ad dictos AMAZONES proficisci. Rex ad hoc quidē promptus erat, sed simul tamen etiam admonebat, terram isto quidem tempore aqua prorsus esse obductam atq; inundatam, vt iter illud admodum difficile & vel impossibile futurum sit, verum nos fidem ipsi nō habentes Indianos istos nobis adiungi petiuimus. Adiunxit igitur Rex capitaneo nostro 20 viros, qui supellectilem ipsius portarent, & nostrum cuique 5 Indianos, qui curam nostri haberent, erat enim octo diebus nobis progrediendum vt Indianum nullum videremus.

Postea peruenimus ad nationem quæ vocatur SIBERII, populum nimirum, hisce SCHERVOS quoad linguam & alia, per omnia similem. Sed octiduum hoc continuè in aqua ad genua vsque versati sumus, ita quidem vt emergere ex ea neque die neque nocte possemus, quin & ignem extruere volentes multa comportare ligna coacti sumus, atq; in lignorum aceruo ignem accendere, vt cibos coquere possemus.

Ignis in aqua quomodo extrui possit.

Accidit sæpenumero vt focus iste ligneus igne consumptus, vnà cum ollis in aquam laberetur, & nos ieiuno stomacho iter continuare cogeremur. Accedebat etiam hoc quod à muscis nos vix tueri & defendere poteramus, quæ quidem ita nos insectabantur, vt somnum capere nobis parum liceret.

Muscæ.

Interrogauimus igitur SIBERIOS an imposterū etiam aquam

essemus

essemus habituri, qui dicebant, quatriduum nobis adhuc in aqua progrediēdum esse, & præterea 5 dies in terra arida. Peruenimus postea ad nationem aliam quam vocant ORTHVSIOS. Hi monebant nos vt conuersi recederemus, quod nostrum pauci admodū essent. Hoc autem recusantes constituimus SHERVOS comites nostri itineris remittere, sed ipsi hoc recusabant, mandatum enim ipsis Rex dederat, vt nos non desererent, donec ex regione ista reuerteremur. *Scherui fideles.*

Adiungebant igitur nobis dicti isti SIBERIOS 10 personas, quæ nobis vna cum SCHERVIS iter monstrarent, ad ORTHVESERIS, itaq; 7 adhuc diebus in aqua pubetenus ambulauimus, quæ aqua tam calida erat ac si igne fuisset calefacta, & eam quidē cum potum alium non haberemus, etiam bibere cogebamur. Nemo tamen existimet hanc fuisse aquam perennem alicuius fluminis, torrēs enim erat seu aqua ex assidua & copiosa pluuia proueniens, regio namq; aliàs plana est & ad peregrinandum satis apta, sed nos incommoda huius aquæ postmodum non exigua deprehendimus, vt mox audiemus. *Iter per aquā calidam.* *Vnde ista vis aquarum.*

Cap. XXI.



POstea die nono ad pagum ORTHVESSER circa meridiem hora fermè vndecima peruenimus, & horam vnam progressi, in medium pagum ad ædes ducis istorum ORTHVESSER.

Et eo quidem tempore dira lues istos ORTHVESSER inuaserat plurimi enim subita morte perierant, fame nimirum confecti, cum nihil haberent quod ederent, DVCKSVS enim siue cicadæ iam secunda vice omnia eorum frumenta & fruges in arboribus & agris absumpserant. His auditis admodū perterrefacti sumus, neq; diu ibi subsistere poteramus, cum parum nobis cibi superesset. Interrogauimus igitur ducem istorum ORTHVESSER de AMAZONIBVS, qui respondit iter integri mensis nobis adhuc restare, & regionem aquis plurimis vbiq; scatere, quod reipsa etiam sumus experti. Obtulit autem primas istorum ORTHVESSER centurioni nostro quatuor PLEINISCH ex auro, & quatuor annulos ex argento, annulis enim eiusmodi, brachia populi isti exornabant, PLEINISCH vero in fronte pro ornamēto gerunt, eadem ratione qua in hisce regionibus potentissimi Magnates catenulas aureas de collo dependentes habent. *Lues apud Orthuesser.* *Cicadæ.* *Annuli argentei.*

Pro his rebus reddebat ipsi noster centurio ligones, cultros, corallia, forfices, & alias eiusmodi merces, quas Norimberga nobis suppeditat. Plus quidem libenter ab ipsis postulassemus, sed verebamur ne eos in nos concitaremus, cum nostrum pauci admodum essent, Indianorum vero in isto pago tanta erat multitudo, quātam in vno loco nondum videramus, & profectò nisi famem tantam & luem sensissent, de nobis actum fuisset. *Munera Christianorum.*

Reuerſi ſumus igitur ad ſupra nominatos SIBEROS, & in itinere quidem cibum nobis ſuppeditabat PALMA arbor, CARDES & aliæ radices ignotæ & ſub terra naſcentes. Poſtea ad SCHERVIS rurſus peruenimus, ſed maximam partem ęgroti, triginta enim continuos dies in aqua verſati eramus; quin imo bibere etiam eam propter defectum melioris aquæ, cogebamur; tametſi aliquando turbulentiſſima eſſet.

Christiani ægroti reuertuntur.

Commorati ſumus ergo apud SCHERVIS illos, vbi Rex habitat quatuor diebus, qui nos humaniſſimè rurſus acceptos liberaliter tractabant, pręceperat enim Rex, vt de rebus omnibus nobis proſpicerent.

Lucrum Christianorum.

In hoc itinere quilibet noſtrum pro ſua parte, ferè 200 coronatos lucratus fuerat ex palliis, goſſypio, auro & argento, pro quibus nos Indianis cultellos, corallia, forfices, ſpecula, & id genus alia dederamus.

Poſthæc nauigauimus rurſus ad generalem noſtrum Ducem ALBERNVNZO CAYESCA de BACHA, qui, cū ad naues veniſſemus, miſſis ad nos legatis, interdixit nobis, ne ex nauibus noſtris egrederemur, donec ipſe ad nos veniret, idque ſub pœna capitis. Veniens autem ipſe Capitaneum noſtrum ERNANDO RIEFFERE captiuum aſſumit, & nobis omnia, quę ex regione iſtâ nobiſcum attuleramus & lucrati eramus, eripit, quin imò de capitaneò noſtro ERNANDO ab arbore ſuſpendendo deliberat. Itaq; nos qui adhuc in BERGENTIN eramus, ingentes turbas dedimus, & vnà cum familiaribus noſtris qui in littore erāt, tumultum excitauimus aduerſus Ducem noſtrum ALBERNVNZO CAYESCA de BACHA, poſtulantes vt capitaneum vinculis liberaret, & quæ nobis eripuiſſet reſtitueret, niſi aliud quid experiri mallet. Quare cùm ALBERNVNZO CAYESCA de BACHA ſeditionem hanc videret, & iram noſtram animaduerteret, gaudebat ſibi datam occaſionem & cauſam capitaneum noſtrum ERNANDO dimittendi, reddebat etiam nobis quæ eripuerat, & amicis verbis nos lenire & quietos reddere cōnabatur. Quid autem ipſi poſteà acciderit, mox audietis.

Seditio inter Christianos.

Albernunzo reddit erepta militib. bona.

His igitur tranſactis, & pace rurſus conſtituta, petebat à capitaneo ERNANDO RIEFFERE & nobis, vt ſtatum & conditionem Regionis, quam perluſtraueramus, ipſi exponeremus, & cauſam ſimul diceremus cur tamdiu emanſiſſemus. Rationem igitur ipſi huius noſtri itineris talem reddidimus, vt in ea acquieſcere coactus ſit. Quod autem tanto impetu nos inuaſerat, & bona nobis noſtra eripuerat, vnica & ſola cauſa erat, quod mandati ipſius immemores, vltra præſcriptum tempus abfuiſſemus præceperat enim ipſe: vt nō vlterius quā ad SCHERVOS proficiſceremur, & ab his itinere quatuor dierum progreſſi, regionem iſtam exploraremus. Nos vero à dictis SCHERVIS, itinere 18 dierum terram iſtam perluſtraueramus.

Albernunzo relationem de itinere requirit.

Cauſa importunitatis Albernunzo.

Ad

Ad hanc nostram relationem constituit Dux noster ALBERNVNZO CAYESCA de BACHA, cum vniuerso populo in regionem, ex qua nos reuersi eramus, proficisci, nos autem milites consentire nolebamus, hoc potissimum tempore, quo regio ista propter vim aquarum inuia erat. *Conuentus cõtra Abbatem.*

Maxima præterea populi pars infirma erat valetudine, neq; etiã dictus Dux ALBERNVNZO CAYESCA de BACHA in magna apud populum vel authoritate vel gratia erat, erat enim homo ineptus tantis rebus gerendis, vtpote qui per omnem vitam imperio nulli præfuerat. *Dux belli sine authoritate.*

Mansimus igitur duos menses apud dictos SIBERIS, quo tẽpore febri correptus Dux ALBERNVNZO CAYESCA de BACHA vehemẽter laborare cœpit. Et quidem si mortuus fuisset, populo nõ multas excussisset lachrymas, talia scilicet in milites eius extabant merita. *Dux Christianorum febri laborat.*

Cap. XXII.

IN hac regione SVRVCKVSSIER nullũ Indianum 40 vel 50 annos natum vidi, neque vllam regionem tam insalubrem, per omnem meam vitam cognoui, sita est enim sub tropico cancri, vbi sol est altissimus, & propter varios morbos non immerito regioni S. THOMÆ comparatur. Apud SVRVCKVSSIER stellam rursus vidi, quam vrsam maiorem vocant, eam enim amiseramus, cum essemus in Insula S. IAGO. *Suruckusiorũ regio insalubris cur.* *Vrsa maior amissa.*

In morbo suo præcepit Dux noster, vt nostrum 150 Christiani, assumptis 2000 Cariis, quatuor nauibus BBRGENTIN ad Insulam SVRVKVSIS itinere 4 miliarium excurreremus & populus SVRVKVSIS omnes interficeremus nulli ætati parcentes. Dicti hi SVRVKVSIS quomodo nos antea acceperint, supra diximus, quam vero nos ipsis mercedem iam reddiderimus, mox patebit, Deus nouit ipsos præter omne meritum summa iniuria esse affectos. *Mandatum de Suruckusiis exterminandis.* *Christiani ingrati.*

Cum ad pagum istum, ipsis nihil minus cogitantibus venissemus, occurrerunt nobis pacificè ex ædibus suis, armis, arcubus & sagittis pulchrè ornati: Mox autem tumultu inter CARIOS & SVRVKVSIS, exorto, emisimus in SVRVKVSIOS tormenta nostra, & benè multos interfecimus, postea succenso pago ipsorum, 2000 ferè, promiscuè ex vtroque sexu, vnà cum vniuersa ipsorum substantia, nobiscum adduximus, reuertentes ita ad Ducem nostrum ALBERNVNZO CAYESCA de BACHA, cui hoc facinore pulchrè satisfactum erat. *Suruckusii capti & trucidati.*

Cæterum cũ populus noster partim infirma valetudine, partim odio erga Ducẽ laboraret, nihil amplius efficere poterat, itaq; nauẽ rursus parari iubebat, quo facto, oẽs ad ciuitatẽ NOSTER SIGNORA *Christiani rursus cõgregantur.*

DESVM-

DESVMSION, reuersi sumus, vbi reliquos Christianos reliqueramus, cum eò venissemus, febri laborans Dux noster, totos 14 dies sese in ædibus suis cõtinebat, & hoc quidem vt omnibus manifestum erat, ex improbitate potius & malitia quam ex infirmitate, ingens enim fastus in ipso erat, ita vt ne quidem milites alloquio dignaretur, sed potius omni eos iniuria afficeret.

Virtutes Ducum. Imperatorem vel Ducem, qui populum rectè regere & gubernare vult, decet vtiq; vt sese placidum mansuetum & affabilem omnibus præbeat, nõ supremis saltem sed & infimis quibusq; & postremis. Decet præterea vt talem sese præstet, qualis videri vult, maximè vero prudentia & rerum gerendarum peritia aliis antecellat, turpe enim est & detestabile, aliquem honori magis & vanissimæ gloriæ, quàm prudentiæ & sapientiæ studere. Neq; vero etiam propter munus sibi demandatum cristas aliquis erigere, & alios prę se ex alto quasi contemnere debet, quo quidem vicio gloriosum istũ militem *Thraso Terentij.* Thrasonem apud Terentium laborasse nouimus, nõ enim propter Ducem vel capitaneum milites, cõscribuntur, sed vice versa propter milites Dux aliquis vel centurio constituitur.

Intolerabilis superbia Ducis. Noster vero hic Dux neminem audiebat, & nullo personarum vel respectu vel delectu habito, in omnibus superbię & fastui suo satisfieri cupiebat.

Communi igitur consilio tandem, ab omnibus tam nobilibus quam ignobilibus, decretum est, vt Dux iste ALBERNVNZO CAYESCA de BACHA, captiuus ad Maiestatẽ Regiam transmitte- *Consilium aduersus Ducem.* retur, & Maiestas Regia edoceretur de virtutibus, quibus instructus, populo præfuerit hactenus, & de fortibus ipsius factis, præclarisque facinoribus hactenus in India præstitis.

Congregati igitur qui à Maiestate Regia muneribus quibusdam præfecti erant. Quæstor MAVTNER & secretarius, quorum nomi- *Albernunzo Dux captiuus in Hispaniam mittitur.* na sunt, ALBERNVNZO GABRERO, THON FRANCISCO MANCHOSSA, GARZE HAVNEGO, PHILOPO de CASTRA, &c. assumpserunt 200 milites, & dictum ALBERNVNZO CAYESCA de BACHA ducem nostrum ex improuiso oppressum, ceperunt, quod quidem factum est die S. Marci, Anno 1543. Postea per annum integrum captiuum detentum, naui quam CARABELLA vocant, omnibus rebus necessariis instructæ, cum duobus aliis præcipuis viris, impositũ in Hispaniam ad Maiestatẽ Regiam miserunt.

Hisce peractis, necessarium erat vt alium eligeremus, qui in ea regione populũ gubernaret, donec à Maiestate Regia alius quispiam huic muneri præficeretur, & visum est nobis omnibus, de sententia *Martinus Domingo Eiolla dux constituitur.* cõmunitatis, id muneris MARTINO DOMINGO EIIOLLA rursus offerre, qui etiam antea ei præfuisset, maximè cum & ipse de vniuerso populo benè meritus esset, & populus ei maxima ex parte, admodum faueret.

Quam-

Quamuis quidam adfuerint, ex familiaribus nimirum & amicis ALBERNVNZO CAYESÇA de BACHA, quibus hoc nostrum consilium non per omnia placeret.

Hoc tempore ego hydrope admodum laboraui, quem morbum apud ORTHVSSOS attraxeram, vbi tamdiu in aqua versatus, & maximam inopiam expertus fueram, vt supra dictum, cuius effectum satis nunc demum deprehẽdimus; siquidem fere 80 nostrum eodem tempore variis morbis laborauimus, ex quibus tantum 30 saluati sunt, & pristinam valetudinem recuperârunt. *Author hydrope laborat.*

Post discessum autem ALBERNVNZO CAYESCA de BACHA ingens in populo nostro orta est cõtentio & discordia; cœpimus enim alter alteri inuidere, & eiusmodi vitam agere, vt facilè crediderim ipsum Satanam tum temporis inter nos imperium suum obtinuisse. *Bellum intestinum inter Christianos.*

Et quidem intestinum hoc bellum propter discessum ALBERNVNZO CAYESCA de BACHA duos annos durauit. Interea CARIOS populi, qui nobis fœdere iuncti erant, cum viderent istiusmodi dissidia & bella in populo esse, cogitabant omne regnum in seipso diuisum facilè posse euerti, & propterea consilio habito, statuebant nos Christianos supprimere, & prorsus ex regione sua profligare, sed benedictus Deus, qui non passus est, hoc consilium suum habere euentum. Congregati sunt igitur magna copia, non tantum CARII, sed & AIGAII & aliæ nationes, aduersum nos. Quo viso in gratiam tandem rediimus inter nos, fecimus etiam pacem cum duabus nationibus aliis IEPERIS nimirum & BACHACHEIS. Horum populorum numerus est 5000 virorum, carnibus tantum & piscibus vescuntur, homines sunt bellicosi terra mariq́; sed terra tamen præualent, arma ipsorum sunt TARDES, dimidiis hastis similes, & affixo in extremitate silice formidabiles, insuper & cęstum in cingulo, longitudine 4 spithamarum habent absconditum. *Defectio Cariorum à Christianis.* *Cæstus.*

Cap. XXIII.



QVilibet pręterea horum populorum 10 vel 12 ligna secum portat, longitudine vnius spithamæ, quorũ extremitati, acutissimum instar alicuius nouaculæ, piscis dentem alligatum habent, qui piscis vocatur lingua hispanica PALMEDE, & repræsentat formã piscis quem tincam nostri appellant. Et hæc quidem arma horum populorum sunt, quibus, quomodo vtantur iam breuibus annotare libet. *Ligna dentibus piscium alligata.*

Principio pugnam dictis TARDES inchoant; cumq́; vidẽt se esse superiores, & hostes fugam dare velle, abiectis istis TARDES, hostem insequuntur, & cæstum pedibus eorum obiiciunt, vt in terram prosternantur; prostratis tandem hostibus capita dente isto amputant, idque tanta celeritate, qua quis se vertere potest. *Vsus horum armorum.*

Capita humana amputata. Capita ista humana post pugnam colligunt, & cutem illis abstrahunt, quam repletam materia quacunque soli exponunt, vt arefiat, arefactam tandem hastę imponunt in signum victorię, eodem modo quo apud nos, equites & Duces, signa vel trophæa sua in templis affigere atque statuere solent. *Memoria victoriæ.*

Iam, vt ad rem perueniamus, IEPERII & BACHACHEI isti, nobis auxilio venerunt, cum 1000 circiter armatis. Quo facto Dux noster assumptis 350 Christianis, ex ciuitate NOSTER SIGNORA DESVMSION egressus est, & vnicuique Christianorum tres Indianos in ministerium adiunxit. Peruenimus igitur itinere trium miliarium, ad hostes nostros, qui in plano quodam campo aciem suam iam instruxerant, numero 15000 virorum. *Carij sunt in acie.* Cum ab ipsis dimidio miliari abessemus, requieuimus in sylua, nolebamus enim pugnam isto die inchoare, propter tempestatem partim, partim quod ab itinere lassi eramus. Postero autem die circiter horam sextam eos aggressi, ad horam decimam vsque, cum ipsis acriter pugnauimus, donec in fugam conuersi, ad pagum quendam properarent, quatuor miliaribus inde distantem. *Pugna.* In hac pugna, hostium 2000 interfecti sunt, quorum quidem capita Ieperij amputata secum sumserunt, Christianorum autem 10 occubuerũt, exceptis iis, qui vulnerati ad ciuitatem NOSTER SIGNORA DESVMSION remissi sunt. *Numerus interfectorum.* Cæterum nos eos ad pagum istum FROEMILIERE, insecuti sumus, vbi Dux CARIORVM erat, qui vocabatur MACHKARIA.

Hunc pagum CARII tribus PALLAISATTE ex ligno, instar muri alicuius, factis cinxerant, quæ ligna satis crassa altitudine alicuius viri in terram defossa, super terram ad tres vlnas eminebant. *Pagus munitus.*

Multas etiam occultas foueas fecerant lignis acutissimis formidabiles. Et vt breuiter dicam, pagus hic admodum erat munitus, & ingenti multitudine fortissimorum virorum repletus, ita vt tribus diebus eum expugnare non possemus, sed tandem tamen Dei beneficio eum superauimus, fecimus enim ingentem BODELLE siue PABESSEN ex pellibus ceruinis, & alterius cuiusdam animalis, quod vocant AMIDA, quod animal mulum magnitudine repræsentat, & per omnia asino simile est, exceptis pedibus, quos habet vaccarum similes, boni cibi est, & regio istis admodum abundat, cutem habet dimidium digitum crassam. *Amida animal.* Has PABESSE dedimus IEPERIIS, reliquis vero Indianis bombardas, cuilibet etiam sclopetario duos adiunximus Indianos, PABESSE vero eiusmodi 400 factæ erant.

Postea tribus locis impetũ in pagum istum fecimus, post meridiem circiter horã secundam, & spacio trium horarum superatis istis PALLAISATTE, in pagum irrupimus, vbi ingentẽ multitudinem trucidauimus, sed maxima tamen pars fuga sibi maturè prospexerat, & ad pagum alium viginti hinc miliaribus distantem properauerat,

qui

qui vocatur KARIEBA. Hunc pagum similiter admodũ firmârant, & situs erat propè syluam quandam, in qua sese saluare possent si à Christianis superarentur, vt mox patebit.

Ad hunc pagum eos vnà cum Duce nostro MARTINO DOMINGO EIIOLLA, insecuti, tribus locis circa pagum istum castrametati sumus, cõstituentes quosdam qui in sylua excubias agerent. Aduenerunt autem interea etiam ex ciuitate NOSTER SIGNORA DE SVMSION, 200 Christiani, & 500 IEPERII atque BACHACHEI, quos in locum eorum substituimus, qui in obsidione prioris pagi vulnerati in ciuitatem nostram remissi erant. Fuit igitur numerus Christianorum 450, & 1300 Indianorum ex IAPERIS & BACHACHEIS. *Numerus Christianorum.*

Hunc pagum autem hostes PALLAISATTIS & fossis adeò firmârant, vt nullum antea tam firmum & munitum viderimus. Excogitauerant etiam nouum armorum genus, quod vocant BLECHEYSSEN, simile muscipulis, quibus glires apud nos capiuntur, quæ quidem si pro ipsorum voto cecidissent, 20 vel 30 viros vno ictu prosternere potuissent, sed Deus clementer hoc malum auertit, cui sit laus & gratiarũ actio. In obsidione huius pagi quatriduum fuimus, ita vt eum expugnare non possemus, donec tandẽ per proditionem, cuius vbique exempla reperiuntur, veniret ad nos nocturno tempore Dux quidam CARIORVM, cuius erat pagus iste. Hic rogabat nos vt parceremus pago suo, & eum igne non perderemus, velle se nobis viam & rationem monstrare, quomodo hoc pago facilè potiri possemus. Cumque Dux noster MARTINVS DOMINGO EIIOLLA fidem dedisset, se pago parsurum, demonstrabat nobis duas vias in sylua, quibus pagum intrare liceret, & constituto tempore dixit, se ignem in pago facturum, vt dum in eo extinguendo CARII occuparentur, nos subitò pagum ingrederemur. Hæc cum ordine fierent magnam CARIORVM multitudinem in hoc pago trucidauimus, qui vero fugere constituerant, inciderunt in manus IEPERORVM, à quibus maxima parte cæsi sunt. Vxores & liberos suos tum temporis secum non habebãt, sed deduxerant eos in syluam quandam, quatuor miliaribus à pago isto distantem. *Proditio.* *Carij fugientes cæduntur.*

Cæterum qui in ista pugna remanserunt, ad alium quendam Indianorũ ducem, THABERE, in pagum IVBERICH SABAIIE fugerunt. Hic pagus 140 miliaribus ab hoc CARIEBA distat. Quò quidem eos sequi non poteramus, erat enim regio planè deuastata & nos cibo necessario non eramus instructi. Mansimus igitur quatuordecim diebus in pago isto KARIEBA, donec qui vulnerati erant, rursus sanarentur.

Postea ad ciuitatem NOSTER SIGNORA DE SVMSION reuersi sumus, vt in flumine PARABOE pagum istum IVRICHA SABAIIA inuestigare eò melius possemus.

Cap. XXIIII.


N ciuitate Noster Signora desvmsion, similiter quatuordecim diebus quieuimus, ꝓspicientes nobis de omnibus rebus ad iter necessariis, postea assumpsit Dux noster nouum exercitũ, & in flumine Paraboe; 9 nauibus Bergentin, atq; 200 Canaen in quibus, 1500 Indiani vehebãtur, profecti sumus ad pagum Ivberich Sabaie, quò hostes nostri confugerant, qui pagus 46 miliaribus à ciuitate Noster Signora desvmsion abest.

Carij Christianis auxilio veniunt contra Carios alios. In itinere adiunxerunt sese nobis 1000 Carii, cum duce isto qui nobis pagum Carieba prodiderat. Itaque Dux noster cum à pago isto Ivbericha Sabaiia, duobus tantũ miliaribus abessemus, missis duobus Indianis siue Cariis hortabatur eos, vt redirẽt in terram suam ad vxores & liberos suos, atq; Christianis, vt antea fecerãt, subiecti essent, sin minus velle se eos ex terra ista omnes profligare. *Christiani pacem Cariis offerunt.*

Superbum Cariorum respõsum. Ad hæc respondit Carivs ille Thabervs, se nec ducem nostrum nec Christianos vnquam nouisse, iussitq; duci nostro significari, vt veniret cum suis, si quid eos vellet, se vel ossibus nostros interfecturum atque profligaturum. Quin & legatos nostros verberibus ad necem vsque tractauit, addita comminatione, vt mox descederent, si mortem euitare vellent.

Cum legati hi, nostro Duci hæc referrent, mox instructa acie ad hostes ꝓgressi sumus, populo in quatuor partes siue turmas distributo. Peruenimus aũt primo ad fluuium quendã, q̃ vocatur Sthvesia, qui latitudine quidẽ Danubiũ repræsentat, ꝓfunditate vero non admodum magna est sed ita vt transire sine periculo possit, certis tamẽ tẽporibus adeò crescit vt terrã vndiq; repleat, nõ sine ingẽti damno. *Sthuesia fluuius.*

Carij Christianis damnum inferunt. Hunc fluuium traiicere cogebamur; erant enim hostes nostri in altera fluminis parte cõgregati, & magna vi nobis in aqua hærentib; resistebant, ita vt nisi sclopetis & tormentis aliis probè instructi fuissemus, & Deus nobis sua gratia adfuisset, omnes nos oppressissent.

Carij fugiunt. Sed Dei beneficio tandem flumen istud superauimus, quod videntes Carii statim ad pagum suum confugerunt, qui dimidio miliari à flumine distabat, sed nos strenuè eos insecuti sumus & pagum vndiq; cinximus, bombardis & tormentis probè instructi. In obsidione ista non nisi diem vnum fuimus, circa vesperam enim Dei beneficio pagum istum superauimus, & multos trucidauimus. *Pagus Thaberi expugnatus.*

Antequam autem eos aggrederemur, mandatum nobis dedit Dux noster, vt vxores & liberos non interficeremus, sed caperemus & in vincula coniiceremus, quod etiam ita fecimus, sed virorum ingentem numerum occidimus, ita vt Ieperi qui nobiscum erant 1000 capita acceperint.

His ita peractis, venerũt ad nos Carii qui euaserant cum duce suo

ſuo THABERO,pacem rogantes,& promittētes, ſe impoſterum ami- cos & ſubditos noſtros, ad omnia ſeruitia, vt ante,paratos futuros; dummodo in gratiam receptis,vxores & liberos redderemus. *Thaberus pacem rogat.*

Recepit igitur eos Dux noſter in gratiam, & impoſterum nulla inter eos & nos, quamdiu ego quidem in regione iſta commoratus ſum,extitit contentio.Bellum autem hoc cum CARIIS iſtis ſeſquiannum durauit,anno nimirum Chriſti 1546.

Poſtea ad ciuitatem NOSTER SIGNORA DESVMSION reuerſi,duos annos ibi commorati ſumus.

Interea temporis,cum nulla nauis ex Hiſpania veniret,proponebat Dux noſter MARTINVS DOMINGO EIIOLLA populo, ſe cōſtituiſſe,ſiquidem ita populo placeret, aſſumptis quibuſdam militibus,regionem iſtam perluſtrare,& experiri an aurum & argētum inuenire poſſit. *Cōſiliū Chriſtianorum de quærendo auro & argento.*

Hoc conſilium cum populo placeret,cōuocatis 350 Hiſpanis,interrogat eos, an ſecum ire vellent, ſe daturum operam, nequid ipſis rerum ad iter hoc neceſſariarum deeſſet, qui promptos ſeſe & paratos exhibuerunt. Conuocatis ſimiliter etiam CARIORVM præfectis, 2000 viros ad hoc iter requiſiuit. Qui & ipſi ſuam operam ſine vlla tergiuerſatione obtulerunt.

Conſentientibus igitur & Hiſpanis & Cariis, poſt duos menſes Dux noſter MARTINVS DOMINGO EIIOLLA, iter ingreſſus eſt,Anno Chriſti 1548.nauigando, 7 nauibus BERGENTIN, & 200 CANAEN in flumine PARABOE,equi vero 130 cum quibuſdam,qui in nauibus locum non habebant, terrâ nos inſecuti ſunt.

Cumq; omnes conueniſſemus ad montem S.FERNANDO, vbi dicti iſti PEIIEMBAS habitant, remiſit Dux noſter ad ciuitatem NOSTER SIGNORA DESVMSION, 5 naues BERGENTIN, duabus nauibus BERGENTIN apud S.FERNANDO, vna cū 50 Hiſpanis relictis, quibus præfectum dedit PETRVM DIESSE, & cibi quantū ad duos annos ſatis erat.Hos iubebat ibi reditum ſuum expectare,ne idem ſibi quoq; accideret quod IOHANNI EIIOLLA antea acciderat, quem vnà cum ſuis PEIIEMBAS iſti miſerè trucidârant,vt antea dictum eſt. *Mons S. Fernando.*

Cap. XXV.

PRogreſſus eſt igitur Dux noſter cum 300 Chriſtianis, 130 equis,& 300 Cariis,continuis octo diebus, vt nationem nullam inueniremus, die nono inuenimus populum qui vocatur NAPERVS, homines ſunt fortes & proceri, nihil habent quod comedant præter carnem & piſces, mulieres deformes ſunt & circum pudenda velatæ. *Mulieres deformes.*

Ad hanc nationem à monte S.FERNANDO, 36 miliaria nume-

 rantur,

rantur. Manſimus ibi per noctē tantum, & poſtea 7 diebus progreſſi, peruenimus ad nationem MAIPAI, populus eſt admodum multus, & ſubditi ſuis dominis omnis generis ſeruitia præſtare coguntur, eodem modo quo apud nos ruſtici ſuis nobilibus ſubiecti ſunt.

Fertilitas regionis. Terra hæc admodum fertilis eſt, & abundat frumento Aſiatico, MANDEOCHADE, MANDEOCH PARPII, PADADES, MANDVES, BACHKEKV, & aliis radicibus, ad cibū vtilibus. Habent etiam ceruos, oues Indicas, ſtruthios, anates, anſeres, gallinas, & id genus aues alias. *Aues.* Quin & in ſyluis plurimum mellis reperitur, ex quo vinum conficiunt. *Syluæ mellitæ.* Quò quis longius in iſta regione progreditur, eò fertiliorem eam deprehendit, & quod mireris toto anno, frumētum aſiaticum & radices iam dictæ, in agris naſcuntur. *Fertilitas Napericæ regionis.* Ouibus, (quas ſylueſtres & domeſticas habēt) ad equitādum & vehendum, quemadmodum nos equis, vtuntur, & ego ipſe aliquando, (non tamen in hoc itinere) 40 miliaria, in oue vectus ſum, cū in pede læſus ire non poſſem. *Oues domeſticæ & ſylueſtres.*

Deſcriptio Maiieaiorum. Apud PERVENSES, ouium iſtarum in tranſportandis mercibus, vſus eſt. Hi MAIIEAII proceri ſunt & bellicoſi homines, omne ſtudium in bellis collocant, mulieres habēt admodum formoſas, circum pudenda velatas, quæ nullum in agro colendo laborem faciunt, virorum enim eſt de victu & rebus neceſſariis ſollicitū eſſe, mulierum vnicus hic labor eſt, vt domi cibum præparēt, & ad vſum alium marito & aliis id petētibus ſeſe accommodēt, excepto tamen nendi & texendi labore, cui per otium operam dare ſolent. *Mulieres formoſæ.*

Cum ab hoc populo dimidio tantum miliari abeſſemus, venerunt nobis obuiam ad pagum quendam rogātes Ducem noſtrum, vt iſtam noctem in pago iſto maneremus, velle ſe nobis de omnibus rebus neceſſariis abundè proſpicere, ſed inſignis dolus ſuberat, quem vt Dux noſter eò minus metueret, offerebant ei 4 coronas argenteas quæ capiti imponi poſſunt, & 6 argenteas PLEYNISCH quarum quælibet, ſpithamam cum dimidia in longitudine habebat, & dimidiam ſpithamam lata erat.

Haſce PLEYNISCH fronti præfigunt, loco ornamenti, vt ſupra diximus. Donabant præterea Duci noſtro tres puellas forma & ætate præſtantiſſimas. *Puellæ amiſſæ.* Manſimus igitur in pago iſto, & poſt cœnam certis militibus in excubiis collocatis, nos ſomno & quieti dedimus. Porro circa noctis mediū, Dux noſter puellas iſtas amiſit, quæ clam ſeſe ſubduxerant, fortaſsè propter eam rationem quod ipſis ſatisfacere non potuerit, erat enim ætatis non mediocris, nimirum 60 ferè annorum. *Turbæ in caſtris Chriſtianorum.* Hæc amiſſio ingentes turbas in noſtro exercitu ea nocte excitauit, ita vt ſimul atq; dies exoriretur, per tympaniſtam Dux noſter mandaret, vt quiſq; armis ſuis inſtructus, in loco ſibi noto compareret.

Maiieaii Chriſtianos aggrediuntur. Hoc facto, ecce MAIIEAIIES ingenti 20000 militum numero adueniunt, nos iſto in pago oppreſſuri. Sed

Sed parum obtinuerunt, siquidem in pugna ista ab illorum parte vltra 1000 cæsi sunt, reliquis in fugam conuersis, quos cum insequeremur, venimus ad pagum eorum, sed neminem ibi deprehendimus; nam & vxores & liberos secum abduxerant. Assumptis igitur sclopetariis 150 militibus, & 2500 Cariis, insecuti sumus eos itinere trium dierum sine vlla intermissione. Tandem inuenimus Maiaios in sylua congregatos, viros nimirum cum vxoribus & liberis. Sed hi quidem priores isti non erant, interim tamen eos in sylua oppressimus, & cæsa ingenti multitudine, captiuos ferè 3000 abduximus, & si non nox prohibuisset, proculdubio nullus eorum euasisset. *Maiaii in fugam conuertuntur.* *Maiaii immerito trucidati.*

Ego quidem in hac pugna 19 personas, viros & mulieres florentis adhuc ætatis, acceperam, & res multas alias lucratus eram. Postea reuersi sumus rursus ad castrum nostrum, & 8 dies ibi substitimus, vt vires recolligeremus, erat enim locus omnibus rebus necessariis abundans. Ad hanc nationem Maiaier, à monte S. Fernando, vbi duas nostras naues reliquimus, 70 miliaria numeratur. Hinc progressi, peruenimus ad nationem aliam, quã vocant Zchemvos. Hi populi prioribus Maiaiis subiecti sunt, quemadmodum apud nos rustici suis nobilibus & dominis.

In hoc itinere vidimus copiosam in agris segetem, frumenti scilicet Asiatici & radicum aliarum, quæ quidem per totum annum in agris conspiciuntur, ita vt collectis hisce fructibus, statim alij germinent, quibus & ipsis collatis, in eorum locum semina rursus terræ mandantur. Hoc modo fit, vt ista regio per totum annum frugibus recentibus abundet. *Messis bis in anno.*

Peruenimus autem ad paruum quẽdam pagum istorũ Zchevnvos, qui visis nobis in fugam statim conuersi sunt. Mansimus igitur in isto pago duos dies, & satis ciborum ibi inuenimus; abest hic pagus à Maiaiis, 4 miliaribus.

Vlterius progressi, peruenimus sex miliaribus ad nationem Thohonna dictam, ibi populum quidem non inuenimus, sed cibum copiosissimum. Hic populus etiam Maiaiis paret.

Postea 6 diebus populum nullum inuenimus, septimo vero die peruenimus ad populum, Peithonvs dictum, admodum copiosum. Primas eorum processit nobis obuiã cum multa plebe, rogans nostrum Ducem, vt maneremus in loco isto, vbi tum eramus, neque pagum eorum ingrederemur. Verum Dux noster consentire nolebat, itaque rectà pagum istum ingressi sumus, quicquid etiam ipsi dicerent, ibi ciborum satis inuenimus; abundat enim locus iste carnibus gallinarum, anserum, ceruorum, ouium, struthiorum, psittacorum, cuniculorum, & similium animalium.

Cap. XXVI.


Sed cesso iam de frumento Asiatico & radicibus frugibusque aliis, quarum maximus ibi prouentus est, plura dicere. Aquæ parum isti habent, argenti vero & auri plane nihil, neque etiam multum de argento & auro quęsiuimus, propter nationes alias, ne ipsę in fugam verterentur.

Apud PETHONVS hosce tres dies mansimus, interim quærebat Dux noster de terræ istius commoditatibus. A THOHONNIS ad eos numerantur 24 miliaria, cum vero ibi discederemus, assumpsimus quędam ex isto populo, qui linguæ istius peritus, nobis viam monstraret, ad fontes potissimum, magna est enim in ea terra aquæ caritas.

Defectus aquæ.

Postea ad 4 miliaria progressi, peruenimus ad populum MAIIEGONAS, vbi vnum diem substitimus, & assumpto rursus aliquo interprete discessimus. Hic populus promptus erat ad omnia necessaria nobis suppeditanda.

Postea, octo miliaria confecimus, & ad nationem MARRONVS, peruenimus, populus admodum multus est, & nos liberaliter excepit. Mansimus apud eos duos dies, & assumpto rursus indice aliquo, progressi sumus quatuor miliaribus, ad nationem PARRONVS, cuius numerus ferè est trium vel quatuor millium virorũ, & mansimus ibi vnicum tantum diem. Ab his progressi sumus 12 miliaribus ad populum SYMANNOS, qui magno numero in monte quodam habitant, & pagum habent sentibus & spinis instar muri alicuius septum. Hi nos hostiliter sagittis nimirum suis & TARDES exceperunt, sed statim in fugam coniecti, pagum suum igne perdiderunt, nos tamen satis ciborũ in agris inuenimus, & tribus diebus ibi commorati sumus.


Inde progressi quatuor diebus 24 miliaria confecimus, & ad nationem BARCHKONOS, peruenimus. Hi de aduentu nostro nihil solliciti erant, itaq; cum iam ad pagum ipsorum venissemus, fugam arripere volebant, sed effugere amplius nõ poterant, coacti sunt igitur nobis quæ ad victum necessaria sunt, gallinas, anseres, oues, struthios & ceruos suppeditare, commorati sumus autem ibi quatuor diebus, vt qualitatem loci istius probè disceremus.

Ab his, tribus diebus, ad 12 miliaria progressi, peruenimus ad nationem ZEYHANNOS. Hi inopia laborabant, cicadæ enim fruges omnes apud eos consumpserant, itaque per noctem tantum apud eos fuimus, & porro quatuor diebus 20 miliaria cõfecimus, vbi peruenimus ad nationem quam KARCHKONOS vocant. His etiam damnum aliquod à cicadis erat illatum, sed non adeo magnum vt finitimis populis, mansimus ibi vnicum saltem diem, & cum audiremus

remus eos affirmare, 30 miliaribus nos aquam non reperturos, donec ad nationem SIBEROS perueniremus, assumpsimus duos ex hisce Indianis, qui in itinere nobis ministrarent, atque ita sex diebus, ad SIBEROS peruenimus, sed in hoc itinere multi ex nostris, licet aquam nobiscum haberemus, siti perierunt. Inuenimus autem radicem in hoc itinere, quæ supra terram eminens, amplissima habet folia, in quibus aqua continetur, non secus ac si in vase aliquo asseruaretur, vt emanare facilè non possit, quin & ex radice dimidium sæpe cantharum aquæ expressimus. *Defectus aquæ.* *Radices aquā reddentes.*

Tandem autem sub noctē ad dictos SIBEROS peruenimus, ipsi autem nostro aduentu perterrefacti, cum vxoribus & liberis fugam dare cōstituerant, iussit igitur Dux noster per interpretem ipsis significari, vt nihil periculi timerent, sed in ædibus suis sese trāquille continerent. Erat etiam apud hosce SIBEROS ingens aquarum defectus, tribus enim diebus pluuiam non habuerant, & nihil aliud quod biberent habebant, nisi liquorem quēdam ex radice MANDEPORE expressum, qui liquor colorem lactis habebat, potest etiā ex hac radice vinum præparari, si aqua assumatur. In toto hoc pago vnicus saltem fons erat, qui diligenter custodiebatur, vt certa mensura militibus aqua distribueretur, quæ quidem mensura à Duce nostro ad hāc rem ordinata erat. Accidit igitur vt ego huic rei præfectus, apud vniuersum populum, nobiles & ignobiles magnum fauorem mihi conciliarem, qui aquam tum temporis præ auro & argento desiderabant, prudenter enim commissum negotium administraui, ita tamen vt mei ipsius non obliuiscerer. In ista regione non facilè viuos fontes & scaturigines inuenias, sed homines aquis quas in cisternis habent contenti sunt, quin & cum aliis nationibus hi SIBERI pro aqua sæpenumero bella gerunt. In hoc pago biduum commorati sumus, incerti planè quid facere, & vtrū in itinere pergere deberemus nec ne, ita vt etiam sortem hac de re mitteremus, sed cū Dux noster de qualitate istius regionis cum SIBERIS loqueretur, responderunt, nos itinere 6 dierum posse ad PEIIESSENNOS peruenire, in hoc vero itinere duos nos fontes aquæ bonæ & salutaris reperturos esse. *Potus ex radice.* *Fons in pago custoditus.* *Defectus aquæ fluentis.*

Cap. XXVII.



ASsumptis igitur quibusdam SIBERIS, iter hoc ingressi sumus, sed cum adhuc trium dierum itinere à pago abessemus, subduxerunt sese SIBERI isti, vt imposterum eos amplius non viderimus, soli igitur tandem ad PEIIESSENNOS istos peruenimus. Hi arma capientes amicitiam nostram recusârunt, sed non multum obtinuerūt, facili enim ratione eos deuicimus, & expugnauimus pagum ipsorum, in fuga autem ipsorum quosdam comprehendi- *Peiissenni arma capiunt.*

hendimus, qui nobis referebãt, se in pago suo habuisse tres Hispanos, in quorum numero vnus nomine Hieronymus PETRI MANCHOSSÆ quondam Tubicen fuerit, quos quidem Hispanos IOHANNES EIIOLLAS piæ memoriæ ibi propter infirmitatem reliquerat.

Hieronymus Tubicen.

Hos tres Hispanos PEIIESSENNI ibi quatuor diebus ante nostrũ aduentum interfecerãt, cum de aduentu nostro à SIBERIS certiores facti essent; cuius quidem facti satis graues nobis pœnas dederunt, mansimus enim in pago ipsorũ quatuordecim diebus, & diligenter eos quæsiuimus, donec magnã eorum multitudinẽ in sylua cõgregatam offenderemus, quam trucidauimus & comprehendimus, ita vt pauci admodum remanerent, qui capti, nobis qualitatem loci exposuerunt, addentes simul, nos itinere quatuor dierũ, nempe 16 miliaribus abesse à populo, quẽ MAIGENOS vocant. Profecti sumus igitur ad eos, qui similiter arma capientes amicitiam nostram planè respuerunt, pagus ipsorũ in mõte quodam situs erat, & densissimis spinis tanq̃ aliquo muro vndiq; septus, aggressi sumus igitur duobus locis hũc pagũ, sed MAIGENOS isti, duodecim Christianos in pugna, & aliquot CARIOS, anteq̃ pagum istũ expugnassemus trucidârunt.

Tres Hispani interfecti.

Peiiessenni in sylua oppressi.

Pugna cum Maigenis.

Tandem cum viderent nos pagum istum superâsse, supposito in ędibus igne, aufugerũt. Sed post tres dies CARIORVM nostrorũ quingenti, nobis insciis ad duo vel tria miliaria fugientes MAIGENOS persecuti, eos inuenerũt, & tam acriter cum eis pugnârunt, vt magnam stragem fecerint, & infinitam MAIGENOS multitudinẽ trucidârint, quamuis ex ipsis etiam trecenti ferè ceciderint. Cum vero MAIGENOS populi eos in sylua vndique cinxissent, ita vt neq; progredi neque recedere possent, miserunt ad Ducem nostrum & rogârunt, vt sibi auxilio veniremus. Hoc audiens Dux noster nihil cunctatus, assumpsit equos quos habebat, & 150 Christianos, vnà cum 1000 CARIIS, reliquo populo in castris relicto, qui Maigenis, si fortè reuerterentur, resistere possent.

Maigeni infiniti cæsi.

Carij à Maigenis cincti.

Venimus igitur supra dictis CARIIS nostris auxilio, sed MAIGENI nobis visis fuga statim dederunt, neq; à nostris, quantumuis strenue eos insequentibus comprehendi potuerunt. Quid autem ipsis tandem cum ad ciuitatem nostram reuerteremur acciderit, paulò post audiemus. Venimus igitur tãdem ad CARIOS nostros, & vehementer mirati sumus tot MAIGENOS ab ipsis trucidatos esse, ipsi vero ob aduentum nostrum ingenti sunt lætitia perfusi.

Postea reuersi sumus ad castra, & ibi quatriduum permansimus, habebamus enim in pago isto cibi quantum satis erat.

Interim conclusimus nos velle cæptum istud iter absoluere, maximè cũ & de qualitate istius Regionis satis superq; essemus edocti. Iter igitur ingressi, continuis tredecim diebus ad 72, nostro quidẽ iudicio, miliaria progressi sumus, & ad nationẽ KARCHKOCKIOS peruenimus, sed in itinere, cũ 9 diebus progressi essemus, venimus ad re-

gionem

gionem ſex miliaria latam, in qua nihil niſi ſalis tātam copiam inuenimus, quāta hyberno tempore niuis in hiſce regionibus reperitur, & ſal quidem iſtud, tam in æſtate quam in hyeme ibi conſpicitur. *Terra ſale repleta.*

In hac terra ſale repleta, biduum commorati ſumus, ignorantes quo nos vertere deberemus, ad iter iſtud felicius continuandū & abſoluendum, diuino tamen beneficio, rectam viam ingreſſi, itinere quatuor dierum ad nationem KARCHKOCKIES peruenimus, cumque non procul à pago eorum abeſſemus, præmiſit Dux noſter quinquaginta Chriſtianos & quingentos CARIOS, qui locum nobis & hoſpitium pararent.

Hi cum in pagum iſtum venirent, deprehenderunt admodum ingentem hominum multitudinem, qualem toto hoc itinere nondum viderant, perterrefacti igitur, remiſerunt aliquē ad Ducem noſtrum, qui eum moneret, vt quamprimum cum populo ſuo ad pagum properaret, ad quam monitionem Dux noſter cum vniuerſo populo iſta nocte progreſſus, hora matutina tertia ſeſe ſupradictis, quos præmiſerat, adiunxit. Et KARCHKOCKIES quidem iſti ignorantes plures reſtare, ſibi certo perſuaſerant, ſe facilè nos ſuperaturos & oppreſſuros. *Karchkockij natio populoſa.*

Verum cum animaduerterent, Ducem noſtrum nobis ſubuenire, abiecto animo de vxoribus & liberis ſolliciti erant, atque cum nihil moliri auderent, omni nos humanitate & liberalitate amplexi ſunt, afferentes nobis ceruos, anſeres, oues, ſtruthios, anates, cuniculos, & id genus feras, aueſque plurimas, frumētum etiam aſiaticum, oryzam & radices, quibus regio iſta abundat, optimas. *Karchkokij humani & liberales erga Chriſtianos.*

Viri in labiis cæruleum geſtant lapillum inſtar calculi luſorij, arma habent TARDES, arcus, ſagittas, & PABESSA ex AMIDA factas ſiue RODELLA.

Fœminæ leuiter perforatis labiis lapillum ex cryſtallo viridi vel fuſco inſerunt, & DIEPOR geſtant, ex goſſypio in formam induſij ſine brachialibus factum, formæ ſunt elegantis, labori tantum domeſtico intentę ſunt, ruſticis operibus & agricultura viris per omnia relictis.

Cap. XXVIII.

HINC ad MACHKOCKIES profecti ſumus, aſſumptis quibuſdam KARCHKOKIES, qui iter nobis monſtrarent, qui, cum dies tres in itinere fuiſſemus, clàm ſeſe ſubduxerunt, nos tamen iter cæptum nihilominus abſoluimus; & ad flumen quoddam peruenimus quod vocatur MACHKASIES miliare vnum cum dimidio latum, hoc flumen vt traiiceremus, colligatis lignis ſiue arboribus inſedimus, atque ita ſuperato flumine ad latus *Machkaſies fluuius.*

 alte-

alterum peruenimus, quatuor tantum personis flumine submersis, quorum animis Deus propitius esto.

Panther. Flumen hoc piscibus & Pantheris abundat, & tantum quatuor miliaribus à dictis MACHKOKIIS, distat.

Cum à MACHKOKIIS hisce non vltra miliare vnum abessemus, ipsi obuiam nobis venerunt, nosque admodum amicè acceperunt. Quin & hispanica lingua nobiscum loquebantur, vnde perterrefacti, interrogauimus eos, cuius imperio parerent, qui respondebant se Ducem nostrum suum Dominum agnoscere, aliàs autem parere imperio cuiusdam Nobilis Hispani, nomine PETRVS ANSVELLES.

Indiani loquuntur lingua hispanica.

Pisces hominibus adhærentes. Ingressi autem pagum ipsorum, inuenimus ipsorum liberos & multos alios vtriusq; sexus homines, quibus pisces adhærebant. Hic piscis pulici similis est, & si quando gingiuę, dentibus, vel aliis corporis partibus adhærescit, perrupta cute in vermem mutatur, similem vermibus, qui in nucibus apud nostros reperiuntur.

Mirabile genus morbi. Sed potest tamen huic morbo in tempore occurri, si quis vero eum initio negligit, postea ingentes dolores & magnam calamitatem experiri cogitur, qua de re multa scribi possent, si instituti id nostri esset.

Distantia. A ciuitate NOSTER SIGNORA DESVMSION, ad pagũ hunc MACHKASIES, in terra numerantur 372 miliaria, secundum ALMERO.

In hoc pago commorati sumus 20 diebus, interea redditæ nobis sunt literæ ex ciuitate quadam LIEME in PERV, vbi Cæsareæ Maiestatis Vicarius PRESENDE siue LICENTIATVS de CASCHA habitat, qui CONSAILLVM PISERE vnà cũ aliis nobilibus ignobilibusq; personis, capitis supplicio affecerat, eam ob causam, quod dictus CONSAILLO PISERE huic LICENTIATO de CASCHA parere nollet, sed aduersus Regiam Maiestatem insurgẽs, seditionem in populo excitaret.

Consaille Pisere.

Mos vulgaris. Accidit profecto multis in locis, vt quis vltra mãdatum Domini sui, in vindicta progrediatur, & sibi ex arrogãtia plus sumat, quam facere merito debebat, non enim credo Regiam Maiestatem huic CONSAILLO PISERE vitam non donaturam fuisse, si suæ Maiestati traditus & oblatus fuisset. Dolebat ei non immerito, suis bonis Dominum alium datum esse. Hæc enim Regio PERV iure diuino & humano ad dictum CONSAILLO PISERE pertinebat, cum ipse vnà cum fratribus suis MARGOSSEN, & ERNANDO PISSERON Insulam hanc ditissimam, primus repererit & sibi subiecerit.

Peru ad quem iure pertinuerit.

Hæc Regio merito ditissima vocatur, omnes enim diuitiæ & opes Regiæ Maiestatis, proueniunt ex PERV, NOVA HISPANIA, & TERRA FIRMA. Sed tanta est huius mundi inuidia, vt ea carere nemo facilè possit. Hac igitur oppressus fuit & hic CONSAILLO PISSERO, adeo vt licet potentissimus Rex fuerit, capitis tamen supplicium euitare

Rex Consaillo Pissero, capitis supplicio affectus.

euitare non potuerit. Hac de re plura ſcribi poſſent, ſi temporis huius & loci eſſent.

Cæterum dictis iſtis literis perſcriptum erat, vt de mandato Regiæ Maieſtatis Dux noſter MARTINVS DOMINGO EIIOLLA, cum militibus ſuis vlterius nō progrederetur, ſed apud MACHKASIES iſtos, ſub pœna capitis, expectaret, donec, quid faciēdum eſſet, deliberaretur. Hæc in hunc finem perſcripta erāt, quod Gubernator iſte timeret, ne ſeditionem & tumultum aduerſus ipſum excitaremus, coniunctis nobis qui capitis ſupplicium in terra ea effugerant, quod quidem etiam certè factum fuiſſet, ſi in iſtam regionem veniſſemus. *Summa literarum.* *Cauſa literarum.*

Sed Gubernator iſte, fœdere cum Duce noſtro inito, maximo cum munere affecit, vt acquieſceret. Et hęc omnia quidem nobis inſciis geſta ſunt, ſi enim eorum noticiam habuiſſemus, ſtatim ligatis manibus pedibuſque Ducem noſtrum ad Gubernatorem iſtum in PERV miſiſſemus. *Nefaria confœderatio Gubernatoris in Peru cum noſtro duce.*

Poſtmodum allegauit Dux noſter ad Gubernatorem iſtum in PERV quatuor milites, vnum centurionem, NVEFLE de SCHAIESES, & tres alios, quorum nomina erāt, VNGNADE, MICHAEL de RVELE, ABAIIE de RORCHVA, qui ſpacio ſex ſeptimanarum in regnum PERV venerunt, & primo quidem ad populum PODVESIES, poſtea ad populum RVESKEN, tertio ad ciuitatem RIO DELLA PLATA, & tandem quarto ad metropolin LIEME. Hæ ſunt quatuor potentiſſimæ & opulentiſſimæ ciuitates in regno Peru. *Quatuor legati in regnū Peru miſſi.*

Ex his quatuor militibus, duo, nempe MICHAEL de RVELE, & ABAIIE de RORCHVA, morbo correpti, in prima ciuitate PODVESIS in PERV, manſerunt. Reliqui duo, NVEFLE & VNGNADE, in ciuitatem LIEME ad dictum Gubernatorem perrexerunt, à quo humaniſſimè & liberaliſſimè excepti, & interrogati ſunt, de cōmoditatibus & qualitate regionis RIO DELLA PLATA. Poſtea iuſſit Gubernator iſte hoſce milites quam optimè tractari, & cuilibet 2000 coronatos donauit. *Legati chriſtianorum liberaliter excepti.*

Iuſſit præterea Gubernator iſte, NVEFLE SCHAIIESES ſuo Duci ſcribere, vt apud MACHKASIES, reſolutionem Regiæ Maieſtatis expectaret, & tamen populo iſti moleſtus non eſſet, nec quicquam præter cibum ab ipſis caperet. Nō latebat autem nos, argento eos abundare, cum Hiſpano cuidam ſubiecti eſſent. Sed ſecundum hoc mandatum ipſis per omnia pepercimus.

Hic tamen Gubernatoris legatus in itinere ab Hiſpano quodam nomine PARNAVVVIE, interfectus eſt, idque de mandato noſtri Ducis, qui verebatur alium Gubernatorem ex PERV miſſum iri, qui populo ſuo præficeretur, quemadmodum etiam alius quidam iam conſtitutus erat. Itaque emiſſo hoc Hiſpano PARNAVVVIE mandauit, vt ſiquidem cum literis aliquem inueniret, interfecto legato, literas ſibi afferret. *Legatus interficitur.*

Cap. XXIX.

Defectus cibi.



Ed non potuimus apud MACHKASIOS diutius propter ciborum inopiam cõmorari, coacti sumus igitur ad KARCHKOKIOS reuerti. Quod tamen non fecissemus, si sciuissemus nobis gubernatorem alium fuisse constitutum, non enim tam facilè reuersi fuissemus, ex regione tam fertili atque fœcunda, in qua nobis de victu necessario facilè prospicere potuissemus. Nam quod annotandum quoque fuerat, terra MARCHKASIORVM tam fertilis est, vt similem ei nunquam viderim, si quis enim syluam ingressus, in arbore quacunque foramen aliquod faciat, potest ex arbore ista quinq; vel sex mensuras mellis accipere, quod mel instar mulsi nostratis ab exiguis apibus neminem lædentibus conficitur. Hoc mel ad comedendum optimum est, & vinum inde suauissimum præparatur.

Marchkasiorũ regio fertilis.

Mel ex arboribus promanans.

Karchkokii fugiunt.

Cum autem ad dictos KARCHKOKIOS venissemus, omnes ex pago suo vnà cum vxoribus & liberis aufugerant, rectius tamen fecissent, si in pago suo mansissent. Missis igitur ad eos quibusdam Indianis, iussit eis Dux noster significari, vt redirent in pagum suum, & nihil mali à nobis metuerent, sed ipsi spreta ista admonitione, nobis renunciàrunt, nos debere ex pago eorum discedere, sin minus, se nos summa vi inde profligaturos.

Karchkokiis Christiani pacem offerunt.

Hoc audiẽtes, instructa statim acie ad eos processimus, & quamuis quidam ex militibus Ducem moneret, vt ab eis abstineret, quòd bellum istud maximam parere inopiam, & rerum necessariarum defectum posset, Dux tamen noster & assessores consiliorum perseuerabant in sua sententia, vt contra dictos MARCHKOKIES proficisceremur. Cum igitur ad eos veniremus, qui locũ sub duobus montibus nõ procul à sylua quadam, ad hanc pugnã elegerant, vt si fortè vincerentur, in sylua sese saluarent, benè multos trucidauimus, quos autem comprehendimus, eos in perpetuam seruitutem redegimus, vt mancipia nostra fierent, quorum quidem numero 1000 fuerunt.

Pugna cum Marchkokiis.

Postea mansimus in isto pago duos menses, qui tantæ erat magnitudinis, ac si quinque vel sex pagi coniuncti fuissent. Et porro ad eum locum reuersi sumus, vbi duas naues nostras reliqueramus, vt supra dictum est. In itinere autem hoc sesquiannum fuimus, quo tempore perpetua bella gessimus, & 12000 vtriusque sexus homines in seruitutem nostram redegimus, ex quibus mihi quidem 50 personæ attributæ sunt.

Magnitudo pagi.

Tempus siue duratio itineris.

Numerus mãcipiorum.

Cum ad naues nostras veniremus, indicabat nobis populus noster, quod in nostra absentia capitaneus quidam DIEGO ABRIGON, ex SIEVILLA Hispaniæ oriundus, cum altero capitaneo IOANNE FRANCISCO MANCHOSSA quem Dux noster MARTINVS DO-

MINGO EIIOLLA, nauibus istis & populo præfecerat, ingẽtem tumultũ excitâsset, & maximas turbas dedisset, volẽte DIEGO ABRIEGON imperium per omnia sibi vendicare, IOHANNE vero FRANCISCO MANCHOSSA, ipsi cedere nolente, quòd sibi expreßè gubernatio ista esset demandata. Hæc dum nobis ita narrantur, ecce Capitaneus iste DIEGO de ABRIEGO, superatum in prelio IOHANNEM FRANCISCO MANCHOSSAM interficit, & excitato in populo ingenti tumultu, aduersum nos arma sua dirigit, quin & occupata ciuitate NOSTER SIGNORA DESVMSION ducẽ & nos intromittere, & sese imperio MARTINO DOMINGO EIIOLLA submittere planè recusat.

Contentio & pugna inter Capitaneos.

Iohãnes Francisco Mãchossa superatus & interfectus.

Dux noster ex ciuitate exclusus.

Cap. XXX.



Hoc cum Dux noster videret, venimus ad ciuitatem NOSTER SIGNORA DESVMSION, & eã obsidione cinximus, milites vero qui in ciuitate erant, cũ seriò rem agi viderent, subinde ad nos in campum egreßi, pacem exorabant. Itaque Capitaneus iste DIEGO de ABRIEGO, animaduertens, populo se non poße fidere, & periculum eße, ne per proditionem nocturno tempore in vrbem introduceremur, quod sanè etiam tandẽ factum fuisset, habito cum amicis & fidelibus suis cõsilio, egressus est ex ciuitate vnà cum 50 armatis. Quo facto, reliqui ad Ducem nostrum venientes, tradita ei ciuitate, gratiam implorârunt, quam etiam facilè obtinuerunt. Itaque Dux noster ciuitatem ingressus est, sed dictus ille DIEGO de ABRIEGO cum 50 istis suis assectis 30 miliaribus aufugerat, ita vt eos assequi non liceret. Fuit igitur inter hos duos Duces cõtinuum duobus annis bellum, ita vt pars vna ab altera tuta nunquã esset, DIEGO enim de ABRIEGO in nullo loco diu manebat, sed modo hic modo alibi oberrabat, nulli labori, vt nobis noceret, parcens, vt non immerito latroni similis haberetur. Tandem igitur, siquidem pace frui vellemus, deliberandum erat de viis ad amicitiam ducentibus. Fecit igitur Dux noster duabus suis filiabus nuptias, quas duobus cognatis DIEGO de ABRIEGO, in matrimonium dederat, qui vocatur ALBERNVNZO RICHKELL, & FRANCISCVS FERGERE. Post hasce nuptias pulchra in quiete, pace & tranquillitate viximus, armis hostilibus ab vtraque parte depositis.

Noster Signora desumsion obseßa.

Diego Abriego fugam meditatur.

Bellum inter Christianos.

Diego de Abriego in latronem degenerat.

Matrimonio pax stabilita.

Interea temporis perlatę sunt ad me literæ ex SIEVILLA Hispanię à procuratore FVGGERORVM qui vocatur CHRISTOPHORVS REYSER, quarum summa hæc erat; præscriptum esse ad dictum CHRISTOPHORVM REYSER per SEBASTIANVM NEIDHARDT, de mãdato & voluntate THOMÆ SCHMIDLIN fratris mei piæ memoriæ, de me ex istis regionibus in patriam reuocãdo, se itaq; CHRISTOPHORVM REYSER me rogare, vt huic voluntati & monitis locũ darem. Has literas ex procuratione dicti CHRISTOPHORI accepi, anno 1552, die 25 Iulij, qui erat dies festus Iacobi.

Vlricus Faber literas accipit.

His

Vlricus Faber dimißonẽ impetrat.

His literis perlectis, dimissionem à Duce nostro MARTINO DOMINGO EIIOLLA petij, qui primo id quidem recusabat, sed tandem tamen, cum consideraret quod tanto tempore Regię Maiestati, in istis Regionibus fidelissimè seruiendo, pro Duce MARTINO EIIOLLA capitis sæpenumero periculis memet exposuissem, & in nullis ei periculis defuissem, hoc inquam cum consideraret, placidè me dimittebat, datis mihi simul literis ad Regiam Maiestatem exaratis, quibus de omnibus scitu dignis, & de statu terræ siue regionis RIO DELLA PLATA, erat perscriptum. Hasce literas postmodum consiliariis Regiis in SIEVILLA Hispaniæ obtuli, & multa coràm de ista regione cum ipsis collocutus sum.

Literæ ad Maiestatem Regiam.

Vlricus Schmidt valedicit suis cõmilitonibus.

Cumque omnibus ad iter necessariis rebus, me instruxissem, salutato Duce MARTINO DOMINGO EIIOLLA, & reliquis meis amicis atque commilitonibus, viginti CARIOS assumpsi, qui res meas & supellectilem in itinere portarent, & iter ingressus sum.

Octo autem diebus ante meum discessum, venit quidam ex PRESILIA, qui referebat nauem quandam ibi nuper aduenisse ex LYSEBONA Portugalliæ, quę esset Domini IOHANNIS ab HVLST, mercatoris in LYSEBONA, factoris vero siue procuratoris ERASMI SCHETZEN in ANTVERPIA.

Nuncius ex Presilia.

Itaque rebus hisce cognitis tandem, in nomine sacrosanctæ Trinitatis, iter ingressus sum, anno Christi 1552, die 26 Decembris, qui erat dies S. Stephano sacra, egressus nimirum cum 20 Indianis, duabus nauibus CANAEN, ex ciuitate RIO DELLA PLATA, NOSTER SIGNORA DESVMSION. Et principio confectis 26 miliaribus, peruenimus ad pagum IVBERICHA SABAIA, vbi quatuor meorum commilitonum duo Hispani, & duo Portugallenses sese mihi adiunxerunt, quamuis bona cum venia dimissi non essent.

Egressus ex ciuitate Noster Signora desumsion.

Hinc soluentes 15 miliaria confecimus, & ad pagum GABORETHA peruenimus, inde itinere quatuor dierum, confectis 16 miliaribus ad pagum BAREIA peruenimus, & inde nouem diebus 54 miliaria conficientes, ad pagum BAREDA appulimus, vbi biduum cõmorati de cibo & nouis CANAEN nobis prospeximus, erant enim nobis 1000 miliaria in flumine PARANAV conficienda, donec veniremus ad pagum GIENVGIA, vbi quatuor dies permansimus. Hactenus in regione CARIORVM versati sumus, quæ subiecta est Maiestati Regiæ.

Cap. XXXI.



IAm perueniemus in terrã Regis PORTVGALLIÆ, regionem nempe TAPIS. In pago supra nominato, coacti sumus naues CANAEN, deserto flumine PARANAV relinquere, & terra iter facere ad regionem TAPIS. Sex autẽ septimanis per deserta & inuia loca vagantes, multo cum periculo & difficultate, ab isto pago

pago GIENVGIA ad TAPOS dictos 126 miliaria confecimus. Hi populi TAPIS hostes suos deuorant, assidua bella gerunt, & superatis hostibus, captiuos in pagum suum deducunt, cum magna solennitate. Captiuis nihil omnino denegant, sed pro libitu in omnibus gratificantur, etiam mulieribus ad libidinem ipsorum cōcessis, tandem vero constituto mactationis tempore solenne conuiuium instituunt, & mactatos captiuos cū amicis suis deuorant. Omne suum studium in bellis collocant, vitam viuunt nunquā ieiunam, sed semper ebriam, saltando & potando sese subinde oblectāt, omnibus voluptatibus dediti sunt, & vitā plane Epicuream agūt. Homines sunt superbi & malitiosi, vinum ex frumento Asiatico cōficiunt, quo ita inebriantur, ac si præstantissimum nostræ regionis vinum biberent. Lingua ferè eadem cum CARIIS vtuntur, parum enim inter hasce duas linguas est discriminis.

ἀνθρωπόφαγοι. *Epicurei Indici.* *Vinum ex frumento Asiatico.* *Lingua Taporum.*

Ab his peruenimus ad pagum KARIESEBA, in quo similiter & TAPI habitant, sed qui bellū cum Christianis gerunt, cum priores Christianorum sint amici.

Ad hunc pagum dominica Palmarum peruenimus, cumque 4. miliaribus adhuc abessemus, intellexi ego periculū nobis ibi imminere, & propterea fugiendos eos esse, incepimus autem tum temporis victu necessario carere, itaque licet adhuc vlterius paulò progredi possemus, tamen duo ex nobis persuaderi non poterant, vt progrederentur, sed posthabitis meis admonitionibus precibusque pagum istum ingressi sunt, quibus quidem fidem dedimus, quod vellemus ante pagum eorum aduentum expectare, sed pagum vix ingressi, interfecti sunt, & postmodum deuorati, Deus ipsorū animis esto propitius, Amen. Postea Indianorū 50 ex pago isto ad nos peruenerunt, induti vestibus Christianorum, cumq; ad passus 30 venissent, substiterunt & nos allocuti sunt, in more autē apud Indianos positum est, vt si quando ad passus aliquot subsistāt, & aliquem alloquantur, nihil boni meditentur, sed semper sinistri quid alant.

Kariesseba. *Periculum à Kariesseba.* *Duo itineris socij interfecti.* *Consuetudo Indianorum.*

Itaq; nos assumptis armis nostris, quærebamus, vbi socij nostri essent, q respondebāt, eos in pago ipsorū esse, & nos debere eos sequi, sed nos intelligētes malitiam eorū noluimus pagum istum ingredi.

Responsum fraudulentum.

Emisso igitur iaculo vno atque altero, in pagum suum reuersi sunt, euocantes circiter sexcentos, qui nos opprimerent. Nos autem in isto periculo in syluam, quæ non procul aberat, nos subduximus, sclopetis enim tantum quatuor & sexaginta Indianis instructi atq; muniti eramus, quos de CARIORVM populo, ex ciuitate NOSTER SIGNORA DESVMSION, nobiscum sumpseramus. Et tamē quatuor diebus in ista sylua nos defendimus, donec tādem nocte quarta ex sylua clàm egressi, discessimus, parū enim cibi supererat, & hostes præualere videbantur, iuxta prouerbium; Ne Hercules quidem aduersus duos pluresve.

Sylua Vlrici Fabri munimentum.

Postea sex diebus in syluis oberrauimus tam horridis & periculosis, vt per omnem vitam iter magis horridum & incultum non viderim, cumq; cibo omni destitueremur, radicibus & melle nos sustentauimus.

Cibi defectus.

Tandem peruenimus ad nationem aliquã, quæ vocatur Biiessiia, ibi quatriduum cõmorati sumus, sed appropinquare tamen ad pagum, propterea quod pauci nostrum essent, non audebamus.

Vrquaia fluuius.

Apud hunc populum fluuius est Vrqvaia, in quo colubros siue serpentes vidimus, quos Hispani, sua lingua, Schve Eiiba Thvescha nominant. Hi longitudine sunt 14 passuum, latitudine vero duarum vlnarum seu octo cubitorum. Multum damni dare solent, capitibus enim semper super aquam eminent, & an aliquis in fluuio versetur, respiciunt, videntes vero aliquem fluuium istum vel lauandi vel bibendi gratia accedere, statim adrepentes, cauda ipsum inuolutum, secum in aquam abstrahunt, & interfectum deuorant.

Serpentes homines deuorantes.

Hinc discedentes quatuor septimanis 100 miliaria progressi sumus, & ad pagum quendam peruenimus, qui vocatur Schelebethveba, ibi mansimus tres dies, vt vires isto itinere amissas rursus colligeremus, parum enim cibi in isto itinere habueramus, melle nos maxima ex parte sustentantes, & potest quidem vel me tacente quilibet intelligere, quantam miseriam tam longo itinere perpessi simus, cibo & potu, lectoq; carentes, lectus enim quem quilibet secum portabat, ex gossypio in formam retis factus erat, pondere quatuor vel quinque librarum. Dormire autem volentes lectum istum nostrum ab vtraque parte ad arborem alligauimus, nam in India, si pauci terra iter faciant, satius est eos in sylua pernoctare & somnum capere, quàm in pagis & ædibus Indianorum.

Lecti portatiles.

Peruenimus postea ad pagum quendam qui Christianorũ erat, in quo habitabat Dux quidam nomine Iohannes Reinmelle, qui tum temporis peregrè profectus erat, ad alium quẽdam Christianorum pagum in Vincenda, qui quondam fœdere iuncti inuicem erant. In his duobus pagis circiter 800 Christiani habitãt, Regi Portugaliæ & dicto Iohanni Reinmelle subiecti, qui (vt ipse referre solitus est) quadringentis annis in India versatus, continua bella gessit, vt eam ob causam meritò regionẽ solus gubernare deberet, sed cum hoc non fiat, subditi semper in armis esse coguntur. Hic Iohannes Reinmelle vno die 5000 Indianos congregare potest, cum Rex vix 2000 cogere possit, tãta est apud istum populum in authoritate. Huius Reinmelle filius tum temporis domi erat, qui nos benignè & humaniter excepit, sed non eramus tamen ab omni cura & metu liberi, & maius à Christianis eius loci quàm ab Indianis metuendum nobis erat periculum. Deo autem Opt. Max. gratias ago, qui me tam clementer ab omni malo vbique protexit & conseruauit.

Tandem ad oppidulum S. VICENDA, 20 miliaribus ab hoc pago distans peruenimus, die 13 Iulij, qui erat S. Antonio sacra, anno 1553. Ibi nauem Portugalensem inuenimus, saccaro, gossypio & aliis rebus onustam, quæ ad ERASMVM SCHETZEN pertinebat. Procurator huius nauis LYSEBONÆ habitat, & vocatur IOHANNES ab HVLSEN, qui substitutum procuratorem alium in VINCENDA habebat, cui nomen erat PETRVS RÖSSEL. *Nauis Portugalensis.*

Cap. XXXII.



IN hac regione nominati Domini, ERASMVS SCHETZ & IOHANNES ab HVLSEN, multos pagos & vicos habent, in quibus toto anno saccarum conficitur. *Subditi Erasmi Scheizen in India.*

Hîc admodum humaniter & amicè à PETRO RÖSSEL acceptus sum, qui mihi omnia humanitatis officia præstitit, & postea me commendauit nauclero siue gubernatori istius nauis, petens, vt mihi nulla re deesset, quod etiam fidelissimè à gubernatore nauis postmodū factum est, qui me sibi commendatissimum habuit, mansimus adhuc 11 dies in ciuitate VINCENDA, quo tempore de rebus omnibus necessariis nobis prospeximus. A ciuitate NOSTER SIGNORA DESVMSION, ad hanc S. VICENDA in PRESILIA numeratur 476 miliaria, quæ totis sex mensibus confecimus. *Distātia à ciuitate Noster Signora.*

Cum rebus omnibus instructi essemus, soluimus ex ciuitate S. VICENDA anno 1553, die 24 Iunij, qui erat dies S. Iohannis. Sed ventum aduersum & ingentes tēpestates totis 14 diebus, in mari habuimus, ita vt qua in regione versaremur nesciremus, donec tandē malo nauis fracta, ad terram appellere cogeremur, vbi peruenimus ad portum ciuitatis quæ vocatur SPIRITV SANCTO. Hæc ciuitas sita est in PRESILIA Indiæ, & Regi Portugaliæ subiecta, habitatur à Christianis, qui cum vxoribus & liberis suis nihil aliud agunt, quam vt saccarum conficiant, abundant gossypio, ligno Presiliensi & mercibus eiusmodi aliis. *Fortuna & tempestates 14 dierum.*

In hoc mari à ciuitate S. VICENDA vsque ad portum SPIRITV SANCTO maxima reperitur balenarum copia, quæ multū nocent præternauigātibus, nauem enim quam adoriuntur, suffocant, & quicquid in ea est perdunt. *Periculum à balenis.*

Hæ balenæ assiduè aquam expuunt, tanta copia, vt vna effusione dolium Frācicum mediocris capacitatis explere possis. Et aquam quidem omnibus ferè momētis ita expuunt, capitibus ex mari exertis, ita vt rei istius ignarus, scopulū eo in loco extimescat. Reperiuntur autem ibi & multa alia monstra marina, quæ omnia describi accuratè non possunt. *Balenæ aquā expuentes.* *Monstra marina.*

Sunt & pisces ibi quos Hispani SVMERE hoc est, pileatos, siue

SCHAVBHVT vocant. Hi pisces tantæ sunt magnitudinis & roboris, vt naues sæpe ingētes subuertant. Quando enim mare placidum est, & nullæ tempestates existunt, tunc tanta sępe vi ad nauem feruntur, vt omnia in ea concutiantur. Itaque nautæ hoc animaduertentes, mox dolium vnum atque alterum in mare proiiciunt, vt cum iis relicta naui sese oblectent.

Pisces dolüs sese oblectantes.

Sunt & pisces alij, quos PEISCHO SPAIDE, hoc est, cultros piscium vocāt, pisces hi admodum formidabiles sunt, & aliis piscibus valde nocent. Certant enim cum aliis, ea ratione, qua apud nos, equi inuicem certare solēt, quod quidem iucundum præbet in mari spectaculum, quamuis hoc piscium certamen, plerunque magna tempestas sequi soleat.

Reperiuntur ibi etiam pisces alij, quos Hispani POSCHE DESERRE vocant, nos serras nominare possumus. Hi admodum formidabiles sunt, & in pugna siue certamine aliis præualent.

Quin & pisces volantes, & alij, quos DOMINGEN vocant, ibi cernuntur, quos quidem omnes describere instituti mei non est.

Postea ex hoc portu SPIRITV SANCTO soluentes, quatuor mensibus in mari oberrauimus, vt terram nullā videremus, donec ad Insulam quandam appulimus, quæ vocatur TESTE de TERZERO, & ad Regem Portugaliæ pertinet. In hac Insula biduum commorati sumus, & nobis de cibo rebusque aliis necessariis iterum prospeximus.

Aduentus in Lysebonam.

Ab hac Insula soluentes, LYSEBONAM quatuordecim diebus peruenimus, anno nimirum 1553, die 30 Septembris qui erat dies S. Hieronymo sacra. In hac ciuitate commorati sumus 14 diebus, & mortui ibi sunt duo Indiani, quos mecum ex India adduxeram.

Postea ego SEVILLAM veredo profectus sum, sex diebus iter 72 miliarium emensus. Quo loco quatuor septimanas cōmoratus sum, donec naues instruerentur.

Postea mare iterum ingressus altero die, ad ciuitatem S. LVCAS perueni, vbi per noctem mansi.

Hinc itinere vnius diei, terra, ad ciuitatem profectus sum, quæ vocatur PORTA S. MARIÆ, & inde rursus itinere vnius diei, ad ciuitatem KALLES, vbi 25 naues reperi, quas HVLCKEN vocant, Belgiam petere volentes.

Inter eas vna erat noua & pulchrè exornata, quæ semel tantum ex ANTVERPIA in Hispaniam missa fuerat. Suadētibus igitur mercatoribus, vt hanc nauem conscenderem, accessi nauclerū siue gubernatorem eius, cui nomen erat HENRICVS SCHETZ hominem honestum & probum, cū hoc egi vt me secum sumeret, cumq; inter nos de precio conuenisset, rebus meis in naui relictis, ad iter me præparaui, & in hospitio meo expectaui, donec mihi significaretur quando soluere vellet, dederat enim mihi fidē dictus nauclerus, se antequam solueret, mihi id significaturum, & sine me non discessurum esse.


Pactum cum nauclero.

Sed

Sed nocte ea plus iusto nauclerus ille biberat, & me in hospitio relicto, (quod quidem fato bono factum) secunda ante exortum solem hora, soluta naui discessit. Itaq; cum sequenti die nauem iam integro miliari à terra abesse viderem, de alia mihi naui prospicere coactus sum, egi igitur cum nauclero alio, cui idem quod priori precium erat numerandum.

Soluimus autem paulo post cum 24 nauibus, & primis quidem tribus diebus secundum experti sumus ventum, sed postea tantæ in mari tempestates ortæ sunt, vt iter nostrum absoluere nõ possemus, mansimus tamen summo cum periculo 5 diebus in mari, ventum meliorem expectantes, sed tandem tamen ventis ita vrgentibus ad eundem, ex quo solueramus locum, reuersi sumus. *Nauigatio tẽpestate impedita.*

Cap. XXXIII.



Olent hoc tempore nautę, Archithalassum quẽdam constituere, quem lingua Hispanica ALMIRANDA vocant. Hic imperium in omnes naues habet, omnes item naucleri & nautæ ipsi, iuramento ad præstandum obedientiam sese obligant, & sanctè promittunt, quod ab inuicem recedere & alter alterum deserere nolint. Nam de mandato Regiæ Maiestatis, non pauciores quam viginti naues ex Hispania in Belgiam nauigare simul possunt, propter bellum, quod cum Gallorum Rege hoc tempore geritur. *Ius nauale.*

Porro & hæc in mari consuetudo seruatur, vt nauis vna vltra miliare vnum ab altera non discedat, & vel sub occasum vel sub ortum solis, omnes congregentur, Archithalassumque seu ALMIRANDAM tribus vel quatuor tormenti ictibus, bis in die salutent. *Consuetudo naualis.*

Archithalassi cõtra officium est, vt semper duas lucernas ferreas in puppi nauis suæ expositas habeat, quas ipsi FAROL vocãt, vt nocturno tempore reliquæ naues ad lucem hanc sese dirigant, & nulla separatio nauium fiat. *Officium Archithalassi.*

Præterea Archithalassus seu ALMIRANDA singulis noctibus, naucleris indicare solet, quem cursum petere velit, vt orta fortè tempestate aliqua, scire possint, quem cursum siue ventũ Archithalassus elegerit, atque ita ipsum sequantur.

Cum autem cursum vertere cogeremur, vt supra dictum est, erat nauis HENRICI SCHETZEN, (in quam omnẽ meam substantiolam ego deposueram) omnium postrema, cumque adhuc vno tantum miliari à ciuitate KALLES abessemus, exposuit propter densissimas noctis tenebras ALMIRANDA seu Archithalassus lucernas suas, vt naues reliquæ ductum & cursum suum sequi possent. *Naues reuertuntur.*

Et nos quidem cum ad ciuitatem KALLES appulissemus, emissis anchoris, naues firmauimus, & remotis lucernis in terrā descendimus, ignemque ad molendinum quoddam non procul ab vrbe extruximus, qui quidem exitio fuit dicto HENRICO SCHETZEN & naui eius.

Naufragium Hērici Schetzij. Rectà enim hunc ignem HENRICVS SCHETZ, quem lucernas esse Archithalassi putabat, sua naui petebat, cumq; nō procul ab igne abesset, summa vi ad saxa & lapides ibi latentes allisus, nauem fregit, vbi maxima extitit calamitas bonis non tantum, sed & hominibus qui in naui ista erant, omnibus miserè in aqua pereuntibus. *Ingens damnum.* Perierunt enim 22 personæ, solo nauclero & gubernatore nauis exceptis, qui trabi adhærentes ad littus appulerunt. Submersæ sunt etiam cum bonis mercatorum aliis, sex cistæ auro & argento repletæ, quæ ad Maiestatem Regiam pertinebant.

Non possum igitur Deo gratias satis magnas agere, quod & hac vice mihi adfuerit, & tam clementer prohibuerit, ne, vt constitutum quidem erat, nauem istam ego ingrederer.

Tempestas inaudita. Postea biduum ibi in KALLES commorati, die S. Andreæ denuò soluimus Antuerpiam petituri. Sed tātam hoc itinere vim ventorum & tempestatem sumus experti, vt nautæ omnes affirmarent, se viginti annis similem tempestatem non esse expertos.


Cum igitur in Anglia ad portum quendam venissemus, qui vocatur VVYDT, neque velum amplius nec restem, nec malum, nec quicquam aliud in nauibus nostris habebamus, ita vt si diutius in mari manēdum nobis fuisset, proculdubio naues omnes periissent, nisi Deus mirabiliter eas seruasset. *VVydt portus Angliæ.*

Naufragium. Nam & Calend. Ianuarij anno 1554, octo naues submersæ sunt, omnibus & bonis & hominibus miserè extinctis, ita vt ne vnus quidem euaserit, quorum animis Deus propitius esse velit. Accidit hæc calamitas in itinere, cum Gallia superata, Angliam peteremus.


In hoc autem portu Angliæ VVYDT, vt dixi, commorati sumus quatriduum, & inde BRABANTVM soluimus, venientes die quarto ARMVIAM, quæ ciuitas est SELANDIÆ, vbi naues appellere solent. Distat hæc ciuitas à portu VVYDT 74 miliaribus. Hinc ANTVERPIAM rectà petiuimus, quæ aberat adhuc 24 miliaribus. Tandem igitur ANTVERPIAM salui peruenimus 26 Ianuarij, anno 1554.

Deo omnipotenti sit laus & gloria, qui comes mihi in hoc itinere semper adfuit, & ex maximis sæpe periculis, me clementissimè eripuit.

FINIS ITINERIS VLRICI FABRI.










GAUDEO